DE PROLALIARUM USU RHETORICO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ALOYSIUS STOCK
FRAUENBURGENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
MCMXI

Gedruckt mit Genehmigung
der Philosophischen Fakultät der Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Prof. Dr. R. Wünsch.

PIIS PARENTUM MANIBUS

S.

Qui iam ex primis literarum initiis poetarum rerumque scriptorum mos erat, opera ingenii sui recitando aperire atque pervulgare[1]), is a sophistis qui dicuntur s. IV. a. Chr. n. ita excultus est, ut ipsi, poetarum aemuli, orationes haberent quibus eos qui audiebant delectaturi simul facultatem suam dicendi exercitationemque (δυνάμεως ἐπίδειξιν) ostenderent. Qui usus ab artis rhetoricae magistris receptus studioseque in scholis et Asiae et insularum maris Aegaei cultus est. Quoniam vero Romanorum non pauci eo se contulerunt ingenii exercendi causa, Romam quoque saeculo rei publicae ultimo hic mos translatus atque eo modo exercitatus est, ut, tamquam negotium gererent, viri eruditi doctis indoctisque audi-

1) Earum quae sequuntur rerum testimonia reperies in libris hisce: C. Martha, Les moralistes sous l'empire romain[3], Paris 1872 p. 215 ss.; L. Friedländer, Darstell. aus d. Sittengesch. Roms[8], Leipz. 1910 IV p. 1. 47. 89 ss.; G. Kaibel, Dionys v. Halikarnass u. d. Sophistik, Herm. 20 p. 507 ss.; E. Rohde, Die asian. Rhetor. u. die zweite Sophistik, Rh. Mus. 41 p. 170 ss. (Kl. Schrift., Tueb. u. Leipz. 1901, II 75 ss.); E. Rohde, Der gr. Roman u. s. Vorl.[2], Leipz. 1900 p. 310 ss.; W. Schmid, Der Atticismus in s. Hauptvertretern I, Stuttg. 1887 p. 27 ss.; E. Norden, Die antike Kunstprosa, Leipz. 1898 I p. 78. 126 ss. 245 ss. 273; H. Bornecque, Les déclamations et les déclamateurs d'après Sénèque le père, Lille 1902 p. 54 ss.; Th. C. Burgess, Epideictic Literature, Chicago 1902 p. 91 ss.; P. Wendland, Anaximenes v. Lampsakos, Berlin 1905 p. 81; P(auly) W(issowa), Real-Enc. VI 53 ss., W. Schmid, s. v. ἐπίδειξις.

toribus scripta recitarent vel orationes declamarent. Cum autem prima imperii aetate iudiciaria oratio non minus quam deliberatoria, quae ad id tempus publicae erant liberaeque, interdum periculum laesae maiestatis moverent, quamvis rhetorum disciplinas etiam magis adulescentes frequentarent, tamen iam non penes iudices causam agere vel populo de civitatis rebus suadere discebant, verum ad homines literatos neque inotiosos scripta recitare et de causis fictis declamare coeperunt, quae declamationes graece *μελέται* latine controversiae[1]) et suasoriae vocabantur, semperque viris audiendi cupidis completa erant auditoria, ubi artis suae et magister et discipulus documentum praebebant. Ita rhetorum auctoritas horumque studiorum gratia, praesertim ubi magnos oratores Atticos imitari coeperunt imperatoribus Graecas res foventibus i. e. ab initio s. p. Chr. n. II admodum aucta est. Neque tam uno loco versantes quam huc illuc profecti imperium Romanum perlustrabant hi sophistae recentiores qui amabant vocari atque vel *μελέτας* dicebant vel aliud dicendi genus colebant; cum poetis enim certantes urbes[2]) templa deos praedicabant, magistratus salutabant, monebant civitates disserebantque de philosophorum cogitatis, quae orationes et argumentis et ambitu variae semper ad praesentem aliquem vel dicentis vel auditorum usum respicientes, *διαλέξεων*[3]) nomine vocabantur vel *λαλιῶν*. Si porro,

1) De hoc nomine cf. Sen. contr. I praef. § 12. Recitabant autem praeter rhetores ipsos illis temporibus omnia hominum doctorum genera (cf. Tacit. dial. 35).

2) cf. Hor. carm. I 7: Laudabunt alii claram Rhodon e. qu. s.

3) De voce *διάλεξις* in primis egerunt W. Schmid, Atticism. I 34. 214; IV 346 s. v. *διάλεξις*; E. Rohde, Roman² 346, 1; H. v. Arnim, Leben und Werke des Dio v. Prusa, Berlin 1898 p. 179; K. Duerr, Zu den Dialexeis des Max. v. Tyrus,

quomodo dixerint sophistae, inspiciamus, et ex tempore auditores alloquebantur et oratione studiose parata schedis non adhibitis declamabant et e libellis recitabant; hoc autem unum omnibus commune videtur fuisse, ut semper fere a solemni quadam praefatione inciperent, cuius generis opera fortuna favente ad nos nonnulla[1]) esse tradita iam pridem viri docti intellexerunt eaque explicaverunt[2]). Traduntur autem hae praelocutiones aut dissolutae a declamationibus ipsis aut cum iis coniunctae. Quae prooemia etiamsi ad ipsam, quae sequitur, orationem auditoris animum praeparant, tamen suo argumento usa de variis rebus ab ipsa tractatione diversis agunt, quo fit, ut a prooemiis propriis ad ipsam tractationen spectantibus[3]) distent, quamvis non paucas prolusiones hisce pro-

---

Phil. Suppl. VIII p. 5. Etiam christianorum oratorum praedicationes hac voce significari exemplis confirmant E. Norden, Kunstprosa II 541. 564; F. Barth, Prediger und Zuhörer im Zeitalter des Origenes. Aus Schrift u. Gesch. Theol. Abh. u. Skiz. C. v. Orelli gew., Basel 1898 p. 30.

1) Quae ad momentum temporis ab ingenio genita valore perpetuo non erant neque schedis servabantur. Praeterea tales prolusiones facillime in codicibus describendis perierunt omittendo, cuius rei documentum invenias Themistii or. XX, ubi *θεωρία* ab oratore ipso scripta a codicibus ceteris omissa in uno Ambrosiano servata est (ed. Dind. p. 285).

2) quod fecisse primus L. Cresollius videtur, Theatr. veterum rhet. orat. declam. Parisiis 1620 p. 414. Eius generis *προλαλιάν* unam alteramque Luciani exstare ad Plinii ep. II 3 explicandam Joh. Matth. Gessner addidit, quod e J. Ch. Th. Ernesti Lex. techn. Graec. rhetor. Leipz. 1795 p. 193 s. v. *λαλιά* didici.

3) Ante *μελέτην* autem saepius de huius ipsius genere ratione fine officio materia exemplaribus orator certiores facit auditores praemissa dissertatiuncula quae *θεωρία* sive *προθεωρία* vocatur, cuius generis vetustissimae exstant a rhetoribus s. IV dictae velut ab Himerio et Themistio, de quibus breviter Schenkl, Eine verl. Rede d. Themist., Rh. Mus. 61 p. 561 refert, qui usus etiam ab Choricio s. VI susceptus est.

oemiis appropinquare concedendum sit.[1]) Stilo autem, quo hae prolusiones conscriptae sunt. a declamationibus aliis omnino non differunt[2]). Cum porro ex illarum genere sint, *διαλέξεων* nomine hae quoque praelocutiones signantur; verum praeterea in codicibus Lucianeis bis talibus oratiunculis titulus *προλαλιά* inscriptus est, sc. Baccho et Herculi. Itaque ubi eas commemorant, et hac[3]) et illa[4]) voce viri docti nostri aevi utuntur.[5]) Quare priusquam ad oratiunculas ipsas aggredior, de illis voculis earumque synonymis mihi nonnulla disserenda esse puto.

Ac primum quidem prima vocis *διάλεξις* mentio fit ab Aristophane nub. 317, ubi Socratem inducit poeta cum Strepsiade colloquentem et, dum de nubibus loquitur, voculas e sophistarum sermone depromptas conglobantem; qui nubes deas invocat, *αἵπερ γνώμην καὶ διάλεξιν καὶ νοῦν ἡμῖν παρέχουσιν.* Quo quidem loco idem ac *διαλεκτικὴν τέχνην* videtur significare.

---

1) A reliquis dialexesin haec prooemia eo differre, K. Muenscher, Die Philostrate, Phil. Supp. X p. 520 iudicat, quod de se ipso res orator affert. Hoc ad permultas quadrat, non ad omnes velut Choricianas. At optime R. Foerster, Der Praxiteles des Chorizius, Jahrb. des d. arch. Instituts IX 1894 p. 167,3, Choricianis prolaliis examinatis eas vocat collocutiones cum auditoribus ab oratore factas vel praelocutiones vel interlocutiones.

2) De stilo agit H. v. Arnim, Dio v. Prusa p. 299. 439; cf. etiam Photium de Himerio bibl. cod. 165 (p. 108 C Bek).

3) velut E. Rohde, Roman² 333,2; H. v. Arnim, Dio v. Pr. p. 173. 410. 438.

4) C. L. Kayser, Flavii Philostrati opera II Lips. 1871 praef. VII et quos supra p. 2, 3 annotavi.

5) Annotandum autem est verba posterioribus antiqui aevi temporibus eadem mente vicissim adhiberi; cf. Himerii or. IV (Duebn.) *λαλιὰν ταύτην . . διείλεκται*, or. XIII *ταύτην ἐλάλησε*, or. V. VI. VII. XV. XXI. XXII. XXIV *ταῦτα* vel *ταύτην* vel *αὐτὴν διείλεκται*, or. XVII *ταύτην διελέχθη* (*ὁ Ἱμέριος*).

Eiusdem vocis usum in epistulis Platonis VII 350 D perquam incertum praetereain, afferam autem dissertationes quasdam illo tempore a sophista ignoto conscriptas nobisque servatas quibus C. Trieber (Die διαλέξεις, Herm. 27 p. 210 ss.) titulum διαλέξεις alterius demum sophisticae artis aetate adscriptum esse sumit; quod necessarium non esse patet, cum iam ab Aristophane sicut artis vocabulum adhibeatur.

Tum ea vox per saecula silentio obruta sophistarum recentiorum temporibus emergit usu pervulgato, quibus indicat[1]) liberam dicendi rationem primum philosophorum tum sophistarum, cum hi illos aemulari coepissent. Cuius modi oratiuncula prima a Philostrato (Vitae Sophist. I 24) commemorata, Alcinoo Stoico ignoto et Marco Byzantio sophistae s. p. Chr. n. I. medii attribuitur. Praeterea philosophorum orationes velut Maximi Tyrii s. II exeuntis sub titulo διαλέξεις (vel διατριβαί) nobis traditae sunt. Estne ob hanc naturam philosophicam, quod scriptores τῶν ῥητορικῶν τεχνῶν vix mentionem faciunt διαλέξεως et nomen tamquam verentur? Ubi τῇ μελέτῃ opponitur ἡ διάλεξις, velut saepe a Philostrato (locos infra n. 64 ss. inspicias), plerumque praefationis notionem prae se fert. In codicibus autem haec vox ut titulus nonnullis oratiunculis velut Dionis or. XLII, Themistii or. XXVIII et permultis Choricianis adscripta invenitur, quae orationes sine dubio praeludia ampliorum declamationum fuerunt. Sed cum et praefatio et oratio ipsa esse possit διάλεξις, ut omnem dubitationem lectoris amoverent, in libris manuscriptis certius significandum esse, ubi praelocutionem indicare vellent, ipsi antiqui scriptores sentiebant. Itaque Eunapius διάλεξιν nomen vel διαλέγεσθαι verbum altera voce adiecta explicat; legimus Vitae Soph. p. 489, 1 Boiss.

1) cf. W. Schmid, Attic. IV 346.

εἰς προάγωνά τινα διαλεχθείς et 497, 32 ἐν προάγωσι καὶ τῷ διαλεχθῆναι. Cum μελέται saepe ἀγῶνες nominentur, velut ab Eunapio ipso p. 489, 24 πρὸ τοῦ ἀγῶνος αἰτῶ, cur hoc vocabulum ab eo electum sit, facile intellegitur.[1]) Eadem de causa alii scriptores aliis vocibus ad interpretandum διαλέξεως voculae sensum utebantur, velut Themistii or. XXVIII in titulo διάλεξις ἐπὶ τῷ λόγῳ inscriptum est vel idem or. XXXIII 367 a ex Aristotele[2]) (art. rhet. III 14 p. 1414 b) τὸ προαύλιον τοῦ λόγου deprompsit. Et cum apud Himerium simplex vox πρόρρησις inveniatur or. XXII in fine, Choricius, quia suas praefationes et comoediarum prologos affines esse putabat, et ipse ad dramata alludit voce πρόλογος saepissime adhibita.

Sed iam alteram vocem, quae summa gravitate est, προλαλιά, tractabo. Discrepant codices Lucianei, dum titulum illis duabus oratiunculis inscriptum tradunt, cum in Dionyso προλαλιά vel προσλαλιά ἢ (v. l. ὁ) Διόνυσος itemque in Hercule προλαλιά vel προσλαλιά ἢ (v. l. ὁ) Ἡρακλῆς legamus ita quidem, ut, qui codices maiore aetate auctoritateque sint[3]), a prima manu προλαλιά scriptum habeant, quod postea corrector quidam in προσλαλιά mutavit. Praeterea certum est lectionem προλαλιὰ ὁ Διόνυσος (sive Ἡρακλῆς) in cod. $Γ^a$ ab Alexandro Episcopo Nicaeensi lectam esse medio fere saeculo X[4]). Quam ob rem

1) Similem comparationem Isocrates adhibet de prooemio Panath. 39: ὥσπερ χορὸς πρὸ τοῦ ἀγῶνος. Primus autem vocis προαγών usus ad theatrum pertinet certamen scenicum significans; sed is deinde latior patuit, cf. E. Rohde, Scenica, Rh. Mus. 38 p. 251 (Kl. Schriften II 389).

2) exstant eius παραφράσεις Ἀριστοτέλους ed. Spengel.

3) cod. Γ Vat. 90, s. IX/X, cod. Ω Marc. 434 pars prior, qua haec servantur, s. X vel XI; cf. Nils Nilén ed. proleg. I Consp. I p. 4*; M. Rothstein, Quaest. Lucian. Berolini 1888, p. 8.

4) Nilén l. c. p. 49*.

recte corporis Lucianei editores illud, quod certiore testimonio nititur, huic praeferebant.

Προλαλιά derivatur a voce *λαλιά*, quae primum apud Aristophanem commemoratur nub. 931, ubi *ὁ δίκαιος λόγος* opprobrium facit *τῷ ἀδίκῳ λαλιὰν μόνον ἀσκῆσαι*, et ran. 1069, ubi Aeschylus similiter Euripidem castigat: *λαλιὰν ἐπιτηδεῦσαι καὶ στωμυλίαν ἐδίδαξας*. Quibus versibus sophistas comicus poeta mordet eorumque dicendi artem efficit contemnendam. Significatur igitur hac voce loquacitas et hic et locis posterioribus saeculis conscriptis, velut Platonis definitione *ὅροι* 416 *λαλιά· ἀκρασία λόγου*, Theophrasti *χαρ.* cap. VII qui *περὶ λαλιᾶς* agit, Heraclidis[1]) s. III fragmento, quo Atheniensium natura designatur (F. H. G. II p. 255, 4 C. Mueller): *οἱ μὲν Ἀττικοὶ περίεργοι ταῖς λαλιαῖς*. Eandem paulatim in *κοινήν* quam vocamus *διάλεκτον* invasisse vetus testamentum Graecum docet, quoniam eius in libris deuterocanonicis posterius aut translatis aut Graece conscriptis multo saepius invenitur velut Da. Macc. Sir. quam in prioribus (cf. Hatch-Redpath, A concordance to the Septuagint II s. v. *λαλιά*) neque in novo desideratur (cf. E. Preuschen, Handwoerterbuch zu den Schriften des neuen Testaments) atque saepius apud Plutarchum invenitur (cf. Ind. ed. Wyttenb.), ubi tamen omnibus locis loquacitatem significat. Sed eandem vocem certi generis oratorii significationem fuisse testatur Diogenes Laertius, qui cum ipse s. p. Chr. n. III vixerit, etsi auctores priores plurimum exscripsit, hanc voculam verisimiliter a rhetoribus et sophistis recentioribus deprompsit IV § 33 (Didot p. 101): *Ἦν δὲ (ὁ Ἀρκεσίλαος) . . . καὶ ἐν τῇ λαλιᾷ διασταλτικὸς τῶν ὀνομάτων*. Quod ita scriptum est, ut sumamus necesse sit eum singu-

---

1) Dicaearcho peripatetico quondam falso attributo (cf. P. W. V 562, 52 s. v. Dikaiarchos).

larem formam collective[1]), ut genus λαλιῶν significet, adhibere. Inscriptionis loco vox λαλιά nobis tradita est Aelii Aristidis inter orationes λαλιὰ εἰς Ἀσκληπιόν (or. XIII Keil, 6 Dind.): quod aetate primum rhetorici usus exemplum utrum inscripserit ille rhetor ipse an librarius posterioris aevi diiudicare nequeo; orationes eius enim et ab aequalibus et a posteris per saecula tractabantur (v. P. W. II 891 ss. s. v. Aristeides), codices tamen in quibus exstat sunt s. X—XIV (cf. B. Keil ed. praef. X). Si hoc loco certum temporis momentum statuere non possumus, paulo firmius invenimus fundamentum, cum sophistas et rhetores s. IV examinamus, quo ineunte Menandrum[2]) rhetoricas περὶ λαλιᾶς leges conscripsisse verisimile est (Rh.Gr.III 388 Sp.), et quo Himerius orationes habuit, quarum in titulis vox λαλιά saepius (ecl. XXIII or. VIII. IX. XVIII) legitur, quamquam hic quoque de auctore, fueritne rhetor ipse an librarius dubitare licet. Unde elucet s. III/IV magis in usu esse hanc vocem coepisse et verisimile mihi videtur eam primum a rhetorum modestia, cum contemnendum aliquid esset λαλιά, adhibitam, deinde paulatim inter terminos rhetoricos receptam esse. Verum προσ- vel προλαλιά voces Menandro notae non sunt, neque anonymus ille qui Menandrum laudans eius λαλιάν commemorat, eas affert (Rh. Gr. III 572. 600 Walz); at sequioris aevi Byzantini eas voculas valde adamavisse videntur, quae e praepositione et nomine λαλιά composita sunt; inspicias hosce locos: Joannes Zonaras[3]) s. X/XI C(orp.)

---

1) cf. Kuehner-Gerth, Gr. Gramm. II 1,13.

2) cf. C. Bursian, Der Rhetor Menander und seine Schriften, Abh. d. bayr. Akad. XVI 1882 p. 18.28; L. Radermacher, Analecta, Philol. 59 (N. F. 13) p. 164.

3) De huius et ceterorum aetate auctorem sequor K. Krumbacher, Gesch. der byz. Literatur² p. 371. 536. 92. 543. 195.

S(cript.) H(ist.) B(yzant.) III 455 (P II 181 D) *τὸν Λέοντα τελευταίαν ταύτην προσλαλιὰν* (allocutionem)[1]) .... *ποιεῖσθαι*; eodem sensu hanc vocem adhibent Eustathius s. XII (opuscula ed. Th. L. Fr. Tafel, Frankof. ad Moen. 1832 p. 325, 31) Nicetas Choniata s. XII/XIII C. S. H. B. p. 643. Paulo alio sensu vox apud Maximum Planudem s. XIII/XIV praedita est (Rh. Gr. V 375, 51 Walz), qui postquam de plebiscito ab Atheniensibus in Megarenses facto narravit, addit: *καὶ προσλαλιὰ κατά τινας προσέκειτο τῷ ψηφίσματι, ὅτι ὁ Μεγαρέα κτείνας ἀζήμιος ἔσται τὸ παράπαν.* Hic ergo legis appendicem significat, vel ut graece dicam *λαλιὰν ἣ πρὸς τὸν νόμον προστίθεται.*

Etiam melius, qua vi tales compositiones fuerint medii aevi temporibus, cognoscemus, si vetera *λέξεων* volumina inspicimus; legitur enim apud Joh. Zonaram vel potius[2]) Antonium Monachum aevi incerti (s. VIII—XI) in Johannis Zonarae Lex. ed. J. A. H. Tittmann, Lips. 1808 p. 1578 s. v. *προσηγορία φιλὴ προσλαλιά· καὶ προσαγορία.* Ergo interpretatur Antonius vocem *προσηγορία* ut minus notam voce illo tempore magis nota *προσλαλιά.* Similiter Thomas Magister s. XIII/XIV (Thomae magistri sive Theoduli Monachi ecloga vocum Atticarum ex rec. Fr. Ritschelii, Halle 1832 p. 224) s. v. *λαλιά· καὶ προσλαλιὰ καὶ προλαλιὰ δόκιμα· καταλαλιὰ δὲ οὐδεὶς εἶπε τῶν ἀρχαίων ἀλλ' ἀντὶ τούτου κατηγορία· ὡσαύτως καὶ ῥητέον οὐ λαλητέον.* Novum est quod de vocibus *καταλαλιά* et *λαλητέον* dicit; testimonio autem de *προσ-* sive *προλαλιά* scripto confirmatur id, quod supra invenimus, *προλαλιάν*

---

1) Schol. Eurip. Hec. 399 quem locum Thesaurus s. v. *λαλιά* laudat: *τῶν ἐμῶν προσαγορεύσεων καὶ λαλιῶν,* ipse non inveni in editionibus vulgo usitatis.

2) cf. H. Stein, edit. mai. Herodoti, Berl. 1869 praef. p. 75; K. Krumbacher, Byz. Lit.[2] p. 372.

praelocutionem esse,' προσλαλιάν allocutionem. Si hos locos contemplamur, eos omnes saeculis IX—XIV esse conscriptos intellegimus, cum neque Menander rhetor s. IV nomen προλαλιά adhibeat neque ii rhetores, qui post eum doctrinam eandem tractabant, auctores scholiorum ad Hermogenis στάσεις, Marcellinus s. V (cf. Christ-Schmid, Gr. Lit.[5] I 452, 3), Syrianus s. V, Sopater s. VI (cf. Rh. Gr. IV praef. p. V, 1 Walz), quamquam προσηγορίαν commemorant, non mentionem faciant τῆς προσλαλιᾶς aut τῆς προλαλιᾶς. Si vero, quam saepe προσλαλιά, quam raro[1]) προλαλιά voces inveniantur consideramus, cur in codicibus haec in προσλαλιά mutata sit, facile cognosci potest[2]). Si huius quaestionis summam faciam, mihi constat Lucianum ipsum his opusculis inscripsisse προλαλιά minime conicere licere.[3])

Iam me convertam ad ipsam προλαλιά vocem, qua sit vi, examinandam. Cum vox simplex rhetoribus recentioribus locutionem significet, restat ut perquiram, quid nomina cum προ particula composita significent. De quibus docet Ph. Buttmann (Gr.

1) Praeter titulos Lucianeos p. 4 et locum eclogae Thomae Magistri non legitur.

2) Interest inspicere cod. Paris. C 3011 s. XIII/XIV, cuius scriptor Luciani Dionyso recte praefixit προλαλιά, cui vero Herculem inscribenti altera vox magis usitata in mentem venit, quam postea litera σ erasa emendavit anonymus. Quos titulos optime praebet P. Vogt, De Luciani libel. pristino ordine quaest. Diss. Marp. 1889 p. 12.

3) Quod M. Rothstein, Quaest. Luc. p. 7, 2 statuit, qui idem (p. 116) ea de causa hisce libellis adscriptum esse putat nomen προλαλιά, quia scripta huius generis vetustiora ab ipso scriptore in unum praefationum volumen coniuncta fuerint, cum Dionysum Heraclemque ultimis Luciani annis conscriptos posteaque editos propria inscriptione ornare editor deberet. Quae sententia, quoniam ceterae prolaliae in codicibus inter alia opera dispersae sunt, probabili causa caret.

Sprachlehre[2], Berl. 1839 II 476,6) ipsum nomen, quod compositioni inest, non subiectum fieri, sed obiectum; ita *τὸν πρόπαππον* non avum priorem sed quemlibet, qui ante avum est, significare. Ita *προκύων* falso a posteris pro cane habebatur cum potius stella sit, quae ante canem oritur. Cui viro docto E. Rohde, Scenica, Rh. Mus. 38 p. 263 (Kl. Schriften II 394) assensus est. At cautius ideoque melius F. Leo, Plaut. Forschungen, Berlin 1895 p. 171, 2 iudicat, qui de vocula *πρόλογος* cui simillima est *προλαλιά* disserens statuit nomen ipsum et *τὸν λόγον*, qui antecedit, et id, quod *τῷ λόγῳ* antecedit, esse posse. Eadem mihi de prolalia dicenda sunt. Si enim oratiunculis, quibus tempus pepercit, perscrutatis mihi iudicandum est, iam nunc iudicium anticipavi; nam apparet, cum prolaliae non solum ante *λαλιάς* sed ante alias quoque orationes adhibeantur, Leonis non Buttmanni interpretationem rectiorem esse. Quod ut comprobem ad prolalias nobis servatas me convertam et ordiar ab illis duabus Luciani orationibus, quippe quae indicibus praescriptis quasi fundamentum dissertatiunculae meae positae sint. Unde postquam quid eiusmodi sermonibus proprium sit, didicerimus, similes apud Lucianum et apud alios scriptores, sive nunc exstant sive quondam exstiterunt, mihi inquirendi sunt.

1. Si Luciani sermonem, qui Dionysus inscribitur, perquirimus, quomodo sit compositus, invenimus haec: Orator postquam initio paucis verbis dixit Bacchum olim cum suis ad Indos profectum esse, ipse se interrumpit, ut *μῦθον Βακχικόν* quem audientes admiraturos esse opinatur, breviter excuset (§ 1). Tum pergit (§ 1. 2) Bacchum eiusque agmen irrisos esse ab Indis ecphrasi ducum militum armorum addita atque ingenii sui elegantiam demonstrat altera rerum gesta-

rum ecphrasi[1]) (§ 3—5) et concludit: Quos antea irrisos[2]) habebant Indi ut effeminatos viros et feminas insanientes, ab iisdem victi[3]) sunt. Id Indis accidit, quia, quae visu primo relatae sunt res, iis nimis sunt confisi, ita ut spernerent peregrinos et deriderent. — Deinde declamator, quid huius fabulae sibi suisque auditoribus conveniat, demonstrat (§ 5). Quia ipse res narrat, quas ridiculas esse vulgaris opinio tradat, alii pro nihilo putant orationem itaque eam omnino non veniunt auditum, alii, qui venientes ridicula exspectaverunt, si serium, quod fabulis inest, sentiunt, non delectantur ideoque oratorem non laudant. Verum qui benigne ipsum audituri sint, eos se veros Liberi patris mystas redditurum esse eosque plausui non parsuros. Huic promissioni exemplum annectit alterum ex fabulis Indicis, ut rhetor contendit, quaesitum, quod et ipsum ad Dionysi asseclas pertinet (§ 6. 7). In lucu Indiae, cuius ecphrasin paucis orator verbis adumbrat, praeter alios fontes unum esse Sileni, ex quo senes semel per annum die festo bibere soleant, quo facto quasi is sit orationis fons, praeclare loqui eos incipere ebrios

---

1) Commendant eas, quibus utitur Lucianus, progymnasmatorum praeceptores cf. Rh. Gr. II 16. 46. 118. Sp. In orationibus iudiciariis quattuor egressionum genera a Quintiliano IV 3, 12 distinguuntur: 'laus hominum locorumque, descriptio regionum, expositio quarundam rerum gestarum, laetitia fabularum'; quorum haec prolalia alterum tertium quartum praebet.

2) *γελᾶν, γελοῖα* similesque voces saepius adhibitae tales prolusiones non *γένους αὐστηροῦ* sed *γένους γελοίου* vel potius *σπουδογελοίου* esse demonstrent.

3) Sileni asinum magna voce conclamantem signum pugnandi dedisse iterum legitur apud eundem Lucianum Ver. hist. I 14. Utrumque opus eodem seriore vitae tempore conscriptum esse A. Thimme demonstrare conatur Quaest. Luc. cap. IV Diss. Halle 1884 p. 6. Quod E. Rohde, Roman[2] 204, 1 confirmat, cum Lucianum posteris vitae annis Epicurum magni aestimasse, quod etiam in veris historiis cognosci potest, constet.

neque prius desinere quam eos ebrietas defecit ad vesperum, ut potius cicadis quam oloribus[1]) comparari possint. Quibus sententiis miram addit hanc: si sole occidente, dum narrat, senex interrumpatur, anno[2]) post, quo orationis loco substiterit, ab eo pergit. Quid huius miraculi ad se ipsum spectet, cum omnibus, qui audiant, perspicuum sit, explicare necessarium sibi non esse. Quaecumque dicat, eorum auctorem esse Silenum.[3])

Si quem ad finem haec facta sit declamatiuncula examinamus, in propatulo est lucubrationem esse rotundam confectamque, qua ad maiorem vel declamationem vel recitationem audiendam hominum animi praeparati sunt. Quae enim ultima dicit verba *ὥστε ἢν μέν τι παραπαίωμεν, ἡ μέθη αἰτία. εἰ δὲ πινυτὰ δόξειε τὰ λεγόμενα, ὁ Σειληνὸς ἄρα ἦν ἵλεως* non ad oratiunculam iam perfectam pertinere patet. Quid autem efficere orator voluerit, facile intellegi potest. Auditores sibi attentos esse cupit; quod ut assequatur, fabulam primam narrat, quam rariorem esse verba *κωλύει γὰρ οὐδέν, οἶμαι, καὶ μῦθον ὑμῖν διηγήσασθαι Βακχικόν* docent, atque ecphrases varii generis magnifice confectas in fabulam immiscet. Ne autem animorum attentio relanguescat, immo augeatur, alteram annectit fabulam iterum affabre ornatam et raram, cuius ante finem rhetor eos, qui audiunt,

1) Similibus comparationibus saepissime ad se alludebant sophistae, cf. infra n. 23.

2) *ἐς νέωτα — πέρυσιν*; falso M. Rothstein l. l. p. 120 'die altero'.

3) Deus quidam verba oratori in lingua ponere et alibi ab oratoribus dicitur, velut a Dione infra n. 25. 26; ab Aelio Arist. or. 22 (XXI 15 Keil), or. 16 (XXVI 2 Keil). Amplius agit de hac similibusque sententiis O. Weinreich, Antike Heilungswunder, Rel. Vers. u. Vorarb. VIII 1 p. 5 ss.

tamquam calcare instigat,[1]) cum (§ 7) sententiam fabulae extremam praedicet verbis: τὸ δὲ μέντοι παραδοξότατον οὐδέπω εἶπον. Utraque autem fabula orator se ipse adumbrat; nam altera, qua ratione ad hanc ipsam declamationem adductus sit, clare indicat, priore autem significat, quales sibi auditores cupiat. Cum ante finem (§ 7) versus prosae orationi immixti inveniantur, haec praefatio satiris Menippeis assimilatur, quae non minus quam fabulae iocosae Cynici sermonis[2]) sunt. Conclusionem facit brevissimam (§ 8), qua confecta ad res ipsas haud difficile transire potuit. Cum veteres convivas[3]) vocet auditores, Athenis eum declamasse M. Rothstein causis etsi non certis tamen probabilibus allatis concludit (l. l. p. 120). Quod autem in fine fabellae de sene enarratae dicit interpretatione sibi non opus esse, illis qui tum audiebant, hanc allegoriam perlucidam fuisse patet, licet non tam aperta iis sit, qui nunc eam legunt. Quam ut explicet, A. Thimme (Zwei Festvorlesungen des Lukianos. Fleckeis. Jahrbücher 34 p. 562 ss.) sumit Lucianum senem quondam declamasse vel recitasse neque vero orationem finivisse, tamen occasione data anno post perrexisse. Quas sententias cur E. Rohde, Roman² 204, 1 falsas duxerit, cum causam non addiderit, nescio. Ex fabulis allegoricis elucet narrationem, quam dicturus est, res ioculares ridiculasque

1) Quod Menander rhetor commendat Rh. Gr. III 372, 14 Sp. Cf. infra n. 2. 4. 50; Luc. de domo § 21 μᾶλλον δὲ τὸ μέγιστον οὐδέπω φημί.

2) cf. E. Weber, De Dione Chrysost. Cynicorum sectatore, Leipz. Stud. X (1887), qui contendit p. 91: 'et artem poeticam et lusus pro inlecebris fuisse quibus Cynici homines ad praecepta audienda invitarent'.

3) Similes imagines saepe apud posterioris aevi oratores inveniuntur (cf. n. 45), de quibus fuse egerunt F. Jacobs, Anth. Graeca III p. 46 et J. Fr. Boissonade, ad Choric. p. 78,6.

praebere neque tamen vero acerbis carere. Praeterea patet narrationem ipsam nullo prooemio praemisso incipere eandemque alteram esse partem amplioris libri, cuius priorem partem antea recitaverat. Haec omnia optime operum, quae nobis servata sunt, Lucianeorum ad librum II. ver. hist. quadrant. Eandem sententiam iam pridem A. Thimme, Quaest. Luc. p. 7 attulit postea a Rudolfo Helm (Lucian u. Menipp, Leipz. u. Berl. 1906 p. 282, 2) et Thaddaeo Sinko (De Luciani libellorum ordine et mutua ratione, Eos XIV 1908 p. 156) confirmatam. Quod autem Dionysi die festo declamasse Lucianum A. Thimme l. l. contendit, non tam facile ei assentior. Quod Lucianus dicit se anno ante priorem partem recitasse haud mirum est; declamationis enim vel recitationis partes interdum temporis intervallis separabantur[1]) nec ignoramus semel per annum die certo sophistis orationes fuisse habendas (velut Choricio, Philol. 54 p. 121). Quas autem res ad Dionysi diem alludentes Thimme affert, nimis paucae sunt.

2. Altera oratio, cui inscriptum est *προλαλιὰ ἢ Ἡρακλῆς* in codicibus[2]) Bacchum subsequitur. Initio (§ 1—7) Lucianus imaginem Herculis Gallorum describit, quem se ipsum[3]) vidisse cum dicat (§ 2), et se sophistam per urbes migrare significat, et orationem facit alacriorem et iucundiorem atque credibilem. Illum autem deum dicit esse senem calvum, qui multos homines secum ducat catenis auro et electro factis,

---

1) cf. Maxim. Tyrium 19,1; 21, 3 (Hob.); Plut. de Alexandri fortuna 2,1; Ael. Aristidem *Παναθην.* (v. Christ, Gr. Literat.[4] 750); Choricium p. 201 Bois. De eodem christianorum praedicatorum usu refert breviter P. Wendland, Gött. gel. Anz. 1901 p. 781.

2) cf. ed. Niléni prol. p. 24*.

3) Similiter Maximus Tyrius diss. 2, 8c Hob. *τὸ δὲ ἄγαλμα εἶδον*; v. etiam n. 5.

quae primam herois linguam cum auribus reliquorum coniungunt. Quam imaginem[1]) a fide abhorrentem cum orator ipse miraretur. Gallus quidam sapiens explanavit docuitque eum, dicendi deum putare Gallos Herculem ut Graecos Ἑρμῆν et cum sapientiora sint senis verba quam iuvenum, illum factum esse senem atque calvum. Ea parte orationis, quae sequitur (§ 7), cum hoc Gallorum Hercule se comparat. Cum in auditorio denuo dicere, quippe qui diu tacuisset, dubitaret, metuens ne quis senectutem illuderet, illa Herculis imago ipsi in mentem venit atque ut diceret movit. Tum (§ 8) finem magnificum admirabilemque facit; alludit enim ad carmen quoddam[2]) Alcaei, cum navi,[3]) quae per longum tempus otiosa tandem solvitur, se comparans et ut faveant, deos orat[4]); auditores vero sperat admiraturos esse vires suas et dicendi facultatem ut apud Homerum proci Ulixem paupere veste[5]) latentem.

Ut antecedenti sermone eos, qui audiunt, Bacchicis fabulis Indisque miraculis concitabat, sic hac in oratiuncula in Gallorum terram a Graecis remotam eos ducit atque imaginem artificiosam exspec-

1) Hac Luciani explicatione duo pingendi artifices aetatis mediae, Duerer et Rafael, commoti sunt, ut Mercurium, sicut ille explanaverat Herculem, depingerent, cf. O. Jahn, Aus der Altertumswissenschaft (Pop. Aufs.), Bonn 1868, p. 349 ss.

2) frg. 25 Bergk.

3) cf. Aristoph. equ. 762 et infra n. 8. 55. 63.

4) Quod saepius in prolaliis invenitur (cf. n. 9. 32) ut olim in prooemiis orationum iudiciariarum, v. Demosth. ausgew. Red. v. Rehdantz-Blass II² bes. v. Fuhr, Teubn. 1910 p. 22 ad or. de cor. 1; locis ibi collatis addas Aristoph. Eccl. 170. Utrum autem editor recte contendat usum orandi rarissimum in orationibus fuisse dubium est.

5) Quod exemplum e penu Cynicorum depromptum esse putat J. Geffken, Kynika und Verwandtes, Heidelberg 1909, p. 23.

tantes etiam magis commovit; verbis enim lectissimis picturas vel statuas explicare[1]) summa ars sophistis illius temporis videbatur. Ubi, ut ad se imago quadret, fabulam invertit (§ 3), illud *τὸ μέντοι παραδοξότατον* ut in Dionyso dictum est, quod etiam augetur (§ 3 ad finem) verbis *πάντων ἀτοπώτατον*. Id igitur spectat orator, ut cupiditatem novas res audiendi apud auditores quam maxime incitet, non cogitationes eorum colligat. Affabre id quoque fecit, quod artificii interpretationem non ipse dat, sed virum sapientem[2]) inducit, cuius verba, cum rem Graecis inauditissimam doceant, Herculem alias agrestem et incultum virum esse deum orationis[3]) et pulcherrimae

---

1) cf. Fr. Matz, De Philostratorum in describ. imaginibus fide. Diss. Bonnae 1867 p. 3 ss., ubi plurima huius usus exempla sunt collecta. Tales ecphrases aptas esse inprimis praefationibus sophistarum artificiosis R. Helm, Luc. u. Menipp p. 177 recte adnotavit.

2) Exordium Cebetis Thebani tabulae simile est. Peregrinus quidam tabulam in templo Saturni depositam, quam ipse vidit, breviter exponit (§ 1) et senem peritum eam interpretatum esse narrat, quam interpretationem per colloquium reddit Hanc tabulam Luciano notam fuisse docent Guil. Capelle, De cynicorum epistulis. Diss. Gotting. 1896 p. 37 et Th. Sinko Eos 1908 p. 132.

3) De ratione, qua Lucianus orationes composuerit, nonnulla addam. Ut aliis locis e brevi proverbio plenam narratiunculam fecit, ut rem pluribus verbis clarius illustraret (cf. O. Schmidt, Metapher u. Gleichnis in den Schriften Lukians. Diss. Zuerich, Winterthur 1897 p. 81), ita hic ex sententia: *ἕλκει ἐκ τῶν ὤτων δεδεμένους*, qua saepius utitur (Iup. trag. 45, Scytha 11, Icarom. 3) profectus versu comoediae quem laudat § 6 *τοῖς γὰρ λαλοῖσιν ἐξ ἄκρου ἡ γλῶττα πᾶσίν ἐστι τετρυπημένη* adsumpto ampliorem fabulam ementitur, dum imaginem, qua id conspici potuerit, describit more sophistarum. Hanc picturam inter commenticias numerandam esse recte Fr. Matz docuit l. l. p. 6. 9. At H. Croiset, Essai sur la vie et les œuvres de Lucien, Paris 1882 p. 16 imaginem talem re vera exstitisse existimans fallitur.

urbanitatis cultorem, animos optime attentos faciunt. Sequitur § 7. 8 conclusio, qua de se pauca affert et sententiis in fine positis spectat ad eam epideixin, quam olim subsecutam esse sumere debemus.

Si quid nos haec oratiuncula doceat quaerimus, se senem denuo incipere declamare orator ipse dicit. Cum ea quam antea examinavimus praefatione se senem iam anno priore recitasse indicet, id, quod A. Thimme, Fleck. Jahrb. 137 p. 562 suspicatus est, hanc prolusionem ad librum I ver. hist. pertinere primis eius capitibus 1—4 in recitatione resecatis, ut W. Schmid, Bemerkungen über Lucians Leben und Schriften, Philol. 50 p. 313 demonstrat, haud improbem pace Rudolfi Helm, Luc. u. Men. 282, 2 et Thaddaei Sinko, Eos XIV 156.

Cum e tota harum orationum forma tum maxime e sententiis in fine positis facile intellegitur has esse praefationes in auditorio multis audientibus dictas, quod recte animadvertens librarius quidam sequioris aevi (v. s. p. 10) titulum *προλαλιά* iis adscripsit. Quae ex iis de prolaliarum natura discimus, haec sunt: Orator fabula allata vel imagine praeclare exposita animos praeparat, ut maiore exspectatione, quae secutura sunt, audiant, et fabulis atque imaginum descriptionibus lepide se suasque res adumbrans nonnulla, quae de se ipso auditoribus nota esse cupit, admiscet.

Qua inquisitione cum prolaliae, quid quaque forma sint, definitum sit, oratiunculas, quae eadem atque illae arte compositae sunt, prolalias putare licet. Iam primum apud Lucianum alias eiusdem rationis prolusiones perpendamus, quarum nonnullas iam antea viri docti indicaverunt, velut C. L. Kayser, Fl. Philostrati opera praef. VII, E. Rohde, Roman[2] 333, 2, M. Rothstein l. l. 116, A. Thimme, Quaest. Luc. p. 4.

3. Prima sit, quae in codicibus[1]) Herculem subsequitur, narratiuncula de electro sive de cycnis. Hic quoque animos audientium delectat re, quae ipsi sibi accidit (§ 2) in regione, quam fabulosus lambit Ἠριδανός,[2]) atque eo magis exspectationem incitat, quia paradoxi loco affert falsam esse fabulam de Eridano a poetis[3]) traditam. Fabula enim illa sororum Phaethontis, quae fratre mortuo populi electri lacrimas stillantes factae sunt, breviter significata narrat (§ 1—6), se, cum quondam ad Padum flumen venisset, neque populos invenisse neque ipsis indigenis fabulam notam fuisse neque, quod item poetae in Padi ripis audiri affirmarent carmen olorum suaviter cantantium, illis innotuisse. Omni igitur spe deceptus et a nautis ut credulus irrisus[4]) rediit Lucianus. Ea quae sequitur sermonis parte audientibus explicat, qua ratione ad suas oratoris res talia quadrent; veretur enim, ne idem auditoribus accidat, quos rogat ne plus ab oratore exspectent quam praebere possit; esse autem alios, qui non solum ut Eridanus advenis electrum sed aurum orationis largiter donent (§ 6). Suam vero gloriam nimis a Fama auctam esse, quam comparat cum rebus in aqua spectatis, quae forma maiores apparent.

Tres huius orationis sunt partes. Primo fabulam, quae inter omnes illo tempore nota fuit, significat, deinde res quasi ipse viderit, narrat, ultima parte ad audientes vertitur, cuius in fine sicut alias (n. 2) comparationem adnectit. Hanc quoque oratiunculam

1) cf. Nilén ed. prol. p. 24*.

2) Lucianus Padi nomine mythico ut rem augeat utitur etsi paululum ironice § 1: εἴ ποτε γενοίμην ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ.

3) cf. Apollon. Rhod. IV 601 ss. de loco mortis Phaethontis et de luctu sororum.

4) § 5 οἱ δὲ σὺν γέλωτι cf. supra p. 12, 2.

esse prolaliam demonstratur verbis in fine positis: *ἤδη οὖν σοι προλέγω*[1]) *ἐκχέας τὸ ὕδωρ καὶ ἀποκαλύψας τἀμὰ κτλ.* Argumentum autem Bacchi argumento contrarium est, quoniam illic ne parvi se aestiment auditores, hic ne nimis exspectent fabulis assequi cupit. Quod porro orator adversarios aemulos, etsi caute tecteque (§ 6), illudit, novum est. Cum vero *οὐ πρὸ πολλοῦ* se ad Padum venisse narret, quod iter priore vitae parte confecit, et tam clarus sit, ut permulti ad eum audiendum convenerint, iuniori eius aetati hanc orationem attribuam.

4. Eidem generi attribuenda est oratio, cui index est de Dipsadibus[2]). Initio (§ 1—6) vulgato more terram aditu remotam commemorat; deserti enim Libyci[3]) naturae ac periculorum, ergo regionis *ἔκφρασιν* dat (§ 1), de Garamantibus fabulosa illius regionis gente eorumque venatione pauca addit (§ 2), tum verbis *καίτοι ταῦτα πάντα . . . ἧττον ὑμῖν δυσχερῆ εἶναι δόξει* auditoribus incitatis maximum omnium periculum angues Dipsades[4]) describit, quod nomen iis datum sit, quia homines morsu ab iis laesi vexentur siti non tolerabili,[5]) quae, quo plus bibunt, eo magis urit[6]). Orator regiones tam periculosas non ipse adiit

1) cf. supra p. 6, ubi *πρόλογος* appellatur *ἡ προλαλιά*.

2) Cur A. Thimme, Quaest. Luc. p. 4 hunc sermonem distare ab aliis, quas tracto, dicat, causam non video.

3) Conferendae sunt Dionis Prusaensis or. V et IV, 73 ss. (v. Arnim). — De fabulis Phrygicis v. infra (n. 26).

4) quae pro tali exemplo saepius adhibebantur, v. apud Martialem, ep. III 44, 7.

5) Eodem exemplo Eunapius vitam Iuliani conscribens usus est, ut sciendi cupidinem illustraret, Vitae soph. Boiss. 474, 13: *ὥσπερ οἱ κατὰ τὸν μῦθον ὑπὸ διψάδος δηχθέντες.*

6) Mortem iuvenis a dipsade morsi legimus descriptam a Lucano IX 737; v. praeterea Hosianae editionis indicem s. v. dipsas.

(§ 6), ergo non ut antea (no 2. 3) rebus, quae sibi acciderint, audiendi cupiditatem auget; tamen idem consequi quaerit narrando se ab amico multa cognovisse, inter quae versus monumento viri a dipsadibus necati inscriptos affert. Inde altera pars orationis incipit (§ 6), qua monumentum illud verbis illustrat et novum *παράδοξον* adiungit (§ 7) de ovis struthocamelinis. Tertia denique parte (§ 8), quid haec fabula sibi velit, explicat; suam cupidinem declamandi apud audientes cum hominum morsu dipsadis sitientium comparat verbis Nicandri poetae et Platonis philosophi laudatis.

Ergo iterum tres partes ut aliarum praefationum discerni possunt, quarum in tertia h. e. in explanatione fabulae, inclusa est captatio benevolentiae. Similiter ac supra (n. 1) suam variarum ecphraseon artem facultatemque lepidis descriptionibus ostentat. — In urbe, in qua haec oratiuncula dicta est, Lucianum saepius esse auditum verbis § 9 *ὅσῳ γὰρ ἂν ἐπὶ πλέον παρίω ἐς ὑμᾶς* demonstratur; Athenas has esse M. Rothstein l. l. p. 119 putat, quod verisimile videtur. Neque vero, quia se sitire cupideque appetere hoc auditorium dicit, seni attribuere Luciano hanc lucubratiunculam licet, ut Th. Sinko, Eos XIV 157 hisce verbis nimis confisus contendit, cum audientibus blandiri, quod praeclare hac ipsa sententia perfecit, omnium sophistarum mos fuerit, nec 'propter Aegyptii itineris mentionem' dicere debebat idem vir doctus, nam non facta est ea mentio; immo si in Aegypto iam antea versatus esset, id, ubi Libyam commemorat, non praeteriturus fuisset silentio, cum supra (2. 3.) iter in Galliam factum commemoret.

5. Aliud exemplum eiusdem componendi rationis habemus dissertationem de Herodoto sive de Aetione. Primo (§ 1. 2) quomodo Herodotus opus suum omni-

bus Graecis notum fecerit Olympiae[1]) ludorum tempore recitans, narrat. Herodoti haec recitatio Luciano pro vetustissimo exemplo epideixeos sophistae alicuius per terras migrantis est. Deinde eos sophistas veteres, qui eum imitabantur, enumerat (§ 3), et recentiores hunc morem ab illis didicisse etsi orator non dicit, tamen eum cogitare auditores sentiunt. Secundum Lucianum etiam artifices secuti sunt recitatorem illum velut Aetion pictor (§ 4—7); qui picturam, qua Alexandri Roxanesque nuptiae pictae erant, omnium oculis conspiciendam proposuit, cuius imaginis more solito ecphrasin[2]) Lucianus addit, quam se ipsum (cf. supra p. 21) in Italia vidisse affirmat. In tertia parte dicit, qua illos Olympiam, eadem de causa se in magnam et praeclaram Macedoniae urbem venisse, quibus laudes urbis atque audientium annectit.

Haec narratio ut aliae tripartita est, dum utraque parte epideixeos rationem vetustissimam esse exemplis probat orator, tertia autem exempla illa explanat annectitque ut benevolentiam captet urbis laudationem. Attamen conclusio a ceteris partibus paululum mihi discrepare videtur. Singulari enim § 1—6 utitur (§ 1 *καὶ ἐγὼ καὶ σύ*, § 4 *καὶ τί σοι*, § 5 *καὶ σοὶ ἂν εἰπεῖν*), plurali in sequentibus paragraphis (§ 7 *ὑπολάβητε . . . ἁπάσιν ὑμῖν γνωσθῆναι*). Qui mos quamquam etiam alibi invenitur (v. n. 11), tamen non eiusdem momenti est, quia alibi hae variae allocutionis formae per totum sermonem dispersae sunt, hic singulis partibus eaedem inveniuntur, ut partes inter se distent. Accedit quod initio Olympiam propter frequentiam praedicat (§ 1 *ἁπανταχόθεν τῶν ἀρίστων συνειλεγμένων*, § 2 *ἤδη οὖν*

1) De sophistarum Olympiae declamationibus v. quae L. Cresollius Theatrum p. 180 contulit.

2) Artem describendi Lucianeam scite tractavit M. Croiset l. l. p. 282.

ἅπαντες αὐτὸν ᾔδεσαν πολλῷ μᾶλλον ἢ τοὺς Ὀλυμπιονίκας αὐτούς), in fine vero increpitat multitudinem (§ 8 *συρφετώδης ὄχλος . . . . ἐν παρέργῳ οἱ πολλοὶ τὸν Ἡρόδοτον τιθέμενοι)* et hac ipsa ratione eos, qui adsunt, quia aliter atque illi se gerant, eò magis laudat. Quae sententiae discrepantes fortasse ex eo explicari posse videntur, quod sophistarum fuit usus magistratus vel principes, si qui aderant, prae reliquis adloqui, quodque hi sophistae, quippe qui audiendi cupiditati satisfacere, non scientiam promovere vellent, occasione data aliter atque alio loco dicere potuerunt. Tamen in conclusione principem omnino neglegere non solebant[1]) et praeterea, si tantopere sibi contradicebat intra tam parvum spatium declamator, minime se commendabat opinor auditoribus praesertim tam cultis quam ipse eos fingit. Quibus de causis mihi quidem orta suspicio est nostram prolusionem ex reliquiis duarum lucubrationum quae prolaliae videntur fuisse contaminatam esse.

Tertia opusculi pars finitur adhortatione quae aperte ad res insequentes pertinet: *τάχ' ἂν οὐ πάνυ μαστιγώσιμος ὑμῖν δόξαιμι* 'tum videlicet, cum declamationem ampliorem, quae subsecutura est, perfecero'.

6. Ex initio eius (§ 1. 2), quae in codicibus subsequitur,[2]) dissertationis[3]) cui inscriptio est Zeuxis sive Antiochus, possumus enucleare quid epideixi illa, quam in extrema prolalia no. 5 promiserat, effecerit. Verbis enim *Ἔναγχος . . . ὑμῖν δείξας τὸν λόγον* dictis se interrumpit *κωλύει γὰρ οὐδέν, οἶμαι, καὶ τὰ τοιαῦτα πρὸς φίλους ἤδη ὄντας ὑμᾶς λέγειν*, quae Lucianum apud cives, quos iam amicos fautoresque sibi fecit,

1) cf. infra n. 41. 42. 43.

2) cf. ed. Nilén prol. p. 28 *.

3) Hanc ab aliis discrepare dicit M. Rothstein l. l. p. 116 causa non allata.

dixisse docent. Iam § 11 invenimus oratorem ex iis, qui in exercitu Antiochi pugnabant, Macedones solos praedicare, cuius rei aliam non video causam nisi quod in Macedoniae urbe[1]) hanc prolusionem dixit. Ergo proclivis est suspicio Zeuxin ad alteram quandam eius declamationem in eadem urbe qua Herodotus habitam attinere. Legimus in Zeuxide haec: Die prioris declamationis cum domum magno comitatu rediret, omnes eum mirati praedicabant, quod novis inventis[2]) recitatio abundaverat. Quos nunc Lucianus docere vult, suam artem plus valere quam tantum novas res praebere. Ut est eius mos, pro documentis affert duas narrationes, quarum utramque praeclaris ecphraseon exemplis ornat. Initio multis verbis picturam Zeuxidis pictoris laudat[3]) (§ 3—6), qua Centaurus cum uxore et duobus infantibus pictus erat. Quam imaginem, cum non nisi rei novitate admirationem[4]) moveret, quamvis praeclara esset, operiri domumque ferri iussit artifex. Subsequitur (§ 8—12) altera narratio: Antiochus rex vic-

---

1) M. Rothstein l. l. 118 tantum id concludit eam non Athenis habitam esse.

2) τὸν νεωτερισμόν, τὴν καινότητα, τὴν παραδοξολογίαν § 1. 2, quod Th. Sinko, Eos XIV 125 ita interpretatur, ut muscae encomium atque meretricum dialogos praecipue intellegat. Sed vir Macedonicus urbane laudans plerasque Luciani oratiunculas ut novas admirari potuit, et rhetor ipse ambitiosior erat, quam ut parvas mutationes novas esse res non praedicaret. Imprimis autem satirici dialogi novitatis laudatione digni videntur.

3) de hac laudandi facultate Luciani v. M. Croiset l. l. 277.

4) Novarum rerum cupidinem Seneca vituperat contr. IV praef. 1: 'Ad nova homines concurrunt, ad nota non veniunt.' Lucianus autem ob novos suos sermones laudationes repellit, ne unus esse ex sophistis semper omnique modo nova praebentibus putetur. cf. W. Schmid, Attic. I 43. Idem agit Lucianus in Prometheo min., cf. infra n. 11.

toriam, quam de Gallis eo tantum adeptus est, quod novitate elephantorum valde perterriti erant, magni non ducebat. Qua in parte ἔκφρασιν πεζομαχίας[1]) rhetor addit. Tum ad se vertit sermonem, ut in fine solet, probatque quae dixit (§ 12): se quoque triumphare cupere, neque tamen novitate sermonis; fortasse autem sibi hoc ne metuendum quidem esse, quoniam artis periti sint qui audiant. Sic audientes quos in principio vituperatione quadam puniverat, gratis verbis in fine sibi benevolos facit.

Iterum de arte sophistarum agit hic sermo, qui cum orator etiam praeludium fabulis praemittat amplior reliquis est. Versus quoque immixti sunt et ex Homeri carminibus (§ 10) et ex comoedia quadam (§ 2) deprompti, quorum comicus pro adagio tum cedebat.[2]) Ex iis autem quae in principio huius capitis (6) dixi, patet Lucianum tum, cum ab mere rhetoricis ad satirica scripta componenda iam transisset[3]) atque ut pace M. Rothsteini sumere debemus per urbes migrans recitaret, et Zeuxidem et Herodotum[4]) declamasse.

7. Narratione quadam quid ipse auctor passus sit, is quoque libellus inchoatur qui ἐνύπνιον ἤτοι βίος inscribitur; narrat ibi haec: (§ 1—5) Avunculo lapidario admodum adulescens tamquam discipulus traditus, primo die cum tabulam marmoream diffregisset, verberatus domum confugit. Nocte dormiens somnium vidit, quod ut describat ad alteram partem (§ 5—17)

1) quam commemorant inter progymnasmata Aphthonius Rh. Gr. II 46 Sp. et Hermogenes Rh. Gr. II 16 Sp.

2) cf. A. Otto, Die Sprichwörter u. sprichw. Redensarten der Römer, Leipz. 1890 p. 76 s. v. carbo 2.

3) Hoc de Zeuxide sumentes consentiunt viri docti cf. M. Croiset l. l. p. 28; A. Thimme, Quaest. p. 5; M. Rothstein l. l. p. 118; W. Schmid, Philol. 50 p. 312.

4) De hoc aliter iudicat W. Schmid, Philol. 50 p. 297.

transit. Mulieres duae et fingendi artis et loquendi deae ei persuadere conabantur unaquaeque ut se sequeretur intenta. Artem rhetoricam se secutum atque ab ea clarum et divitem factum esse in extremo somnio vidit. Quibus dictis excusat se orator quod tam diu locutus est, tum conclusionem necessariam, qua utilitatem fabulae demonstrat, adiungit: Sese iuvenes incitare velle ut arti rhetoricae studeant et se ipsum, boni eventus documentum, imitentur. Constat igitur haec oratio *ἐκ διηγήσεως* (§ 1—5) et *ἐκ μύθου*[1]) (§ 5—17); quam ubi narrare incipit, ad augendam audiendi aviditatem dicit[2]) (§ 5): *τὰ μετὰ ταῦτα δὲ οὐκέτι εὐκαταφρόνητα.* Ubi autem se excusat (§ 17), inducit loquentem quendam, qui longum somnium miratus oratorem increpat alterumque, qui ei respondet; parvus igitur dialogus amplos dearum sermones excipit. Quem autem facit prius dicentem eum non ut personam ab oratore ex solito fictam verbo *φησί τις* inducit[3]), sed forma rarissima[4]) *ἔφη τις . . . . ἄλλος ὑπέκρουσε,* qua Lucianum Isocratis usum Antid. 142, Panathen. 200 imitari, audientes autem dubitare posse, utrum orator fingat rem an factam referat, R. Hirzel (D. Dialog, Leipzig 1895 II 272, 3) nos docet. Hoc dolo rhetor ille decla-

---

1) Qui fabulam illam a Prodico viro sophistarum priorum praeclarissimo factam imitatur, quam Xen. Apomn. II 1, 21 tradit; de hac fabula eiusque imitationibus inspicias F. G. Welcker, Kl. Schriften, Bonn 1845 II 474; Guil. Capelle l. l. p. 31.

2) cf. supra n. 1. 2. 4.

3) Quae occupatio a stoicis exculta cynicorum in diatriba saepius adhibita est. Ad oratorum qui penes iudices dicebant usum eam reducere licet; cf. Rh. Gr. III 67 Sp., R. Hirzel, Dialog I 371, 2.

4) Neque in sermone latino imperfectum ut occupationis forma invenitur; cf. M. Seyffert, Scholae lat. II^3 Leipz. 1872 p. 70.

matiunculam suam effecit alacriorem; est enim tamquam nova oratiuncula quae exspectationem dialogo dearum incitatam conservet, atque magis conservet quam si sermonem fictum esse Lucianus clare indicavisset. — Conclusione huius praeludii re vera eum non tam alios ad studium artis rhetoricae commovere cupere quam se ipsum suasque res civibus suis in memoriam revocare patet; declamasse enim eum hoc cum Samosata clarus redisset, viri docti iam dudum intellexerunt (cf. § 18 *ἀνελήλυθα*). Cum porro haec lucubratio et ambitu minor sit quam ut generis demonstrativi plena oratio potuerit esse, atque illam *προλαλιῶν* formam prae se ferat, praeterea optime ad leges quadret, quas Menander *περὶ λαλιᾶς* tradit,[1]) necessario una ex prolusionibus[2]) est. Quod autem auditorum animos haud ita vehementer incitat et fusius de se loquitur, occasione explanatur qua data Lucianus dicit. Samosateni enim suum civem celebrem libenter attenteque audisse in propatulo est.

Hic autem data potestate pauca addam de ambitu prolaliarum. Excusatio enim somnii tam diuturni de qua dixi legitur in pagina editionis Teubnerianae 7 media vel accuratius post sex paginas quibus accedunt tres versus, quod idem est ac 239 versus vel *στίχοι*, si cuivis eorum 35 literas[3]) attribuas. Quod ceterorum Luciani praeludiorum maximum[4])

---

1) cf. W. Schmid, Philol. 50 p. 298.

2) qua de re dubitat M. Rothstein l. l. p. 116.

3) Qui numerus pro canone versus antiqui habebatur et in orationibus non solum scriptis sed dictis quoque mensura erat; cf. Th. Birt, D. antike Buchwesen, Berl. 1882 p. 197 ss.

4) Etiam amplior est Scytha, quem tamen non esse dictum sed scriptum tantum modo statim demonstrabo. 258 versus enim complet, quem ambitum Lucianus praeparat verbis § 8 *μακρὸν ἂν εἴη διηγήσασθαι* post versum 160.

est, Zeuxis, si eodem modo metimur, 235 versus continet. De modo prolusionis minimo, quod hic addere liceat, Choricius nos certiores facit (Rh. Mus. 49 p. 481) prologum, qui 23 versus habet, ob brevitatem excusans. Ergo fines prolaliae 25 et 250 versus videntur fuisse.

Orationes Luciani adhuc allatae quin praefationes sint, non iam dubium esse spero. Sed aliae sunt praeterea Luciani oratiunculae, quae utrum inter prolusiones numerandae sint necne accuratiore inquisitione eget.

8. Primum aggrediar ad opusculum quod Scytha sive Hospes inscribitur, quo Lucianus Macedones duos nobiles (§ 9) adit, patrem et filium, quos sibi conciliare cupit et quos solos adloquitur.[1]) Ad finem suum assequendum, ut solet, fabulam narrat (§ 3—9) cui prooemii loco narrationem praemittit hanc (§ 1—3): Toxaris Scytha pestis tempore feminae cuidam Atticae apparuit et cultum sibi flagitabat, cumque obоedivissent Athenienses pestem finivit. Deinde sepulchrum eius eximio penicillo per *ἔκφρασιν τόπου*[2]) pingit. Quam ut inserere posset, orator antecedentem de Toxari narratiunculam composuisse videtur, cum nullo verbo in conclusione mentionem eius faciat; est igitur tantum ad animos audientium paulatim praeparandos facta et tota haec prima pars minus per se ad finem totius valet quam quod ad alteram traducit. Altera parte (3—9) alteram de Toxari fabulam addit: Hic, cum Athenis versaretur, Anacharsin[3])

1) § 10. 11 forma duali *ἔστον* utitur.

2) cf. Rh. Gr. II 16 Sp. Hermogenis, II 46 Aphthonii progymnasmata.

3) quem deprompsit e cynicorum thesauris, qui saepius exempli instar eum adhibuerunt; cf. R. Heinze, Anacharsis. Philol. 50 p. 458.

eiusdem gentis virum nobilem, qui per urbem peregrinus errabat, ad Solonem duxit longe optimum sapientissimumque omnium et idoneum, qui Anacharsi in omnibus recte subveniret. Sequitur conclusio, cui urbane auctor, quippe qui ad viros cultos loquatur, praemittit: *βούλεσθε*[1]) *οὖν ἤδη ἐπαγάγω τῷ μύθῳ τὸ τέλος.* Ut Anacharsis Solonem adierit, ita se nunc duos viros nobiles uti sibi amici fiant, adire, quod optatum fusius explanat ornatque figuris simili modo atque Herculis in fine (supra n. 2) nautarum[2]) e sermone promptis. Si recte exemplum a Luciano adhibitum interpretamur, se nondum viros quos sibi subventuros sperat, novisse statuemus; itaque hanc lucubratiunculam eum illis nobilibus praesentibus dixisse vix probabile est, immo probabilius eum per litteras[3])

1) De formula *εἰ δὲ βούλει* aliisque similibus, quas praecipue Plutarchus et Maximus Tyrius adhibuerunt, nonnulla praebet N. Hobein, De Maximo Tyrio quaest. philol. sel. Diss. Gott. 1895 p. 13, 16.

2) Cum navigatione etiam alii scriptores orationis officium componunt velut Aristoph. equ. 762, Ael. Arist. or. XXXIII 2 Keil (infra n. 63), Apuleius (infra n. 55).

3) Primum epistulas, quasi orationes essent, Isocratem conscripsisse neque intellexisse epistulas et orationes, quoniam illae legentibus hae audientibus fiunt, *κατ' εἶδος* differre v. Wilamowitz docet (Aristoteles u. Athen, Berlin 1893, II 392). Itaque ipse Aristoteles his finibus neglectis laudationem Alexandri forma epistulae conscripsit (v. H. Peter, Der Brief, p. 15). Neque in epistulis conscribendis genus proprium unquam excultum esse neque in progymnasmatorum numero epistulas fuisse recte commonet E. Bouvy, De s. Isidoro Pelusiota, Nemausi 1884 p. 16 (cf. etiam R. Hirzel, Dialog I 304, E. Norden, Kunstpr. I 88, 1, II 492). Attamen non desunt leges conscribendis epistulis datae velut apud Demetrium *περὶ ἑρμηνείας* ed. Radermacher p. 47 (Rh. Gr. IX 96 W.); Quintil. inst. or. IX 4, 19; Senec. epist. LXXV 1. Quorum Demetrius maxima est auctoritate, qui ut posteriore aetate C. Iulius Victorinus (a. rhet. XXVII Rh. Lat. min. Halm p. 447) Artemone auctore

eos adiisse. Ergo petentis literas hanc lucubrationem esse puto, qua in epistula, ut documentum suae demonstrative dicendi facultatis daret, forma *προλαλιῶν* usus est, praesertim cum eam etiam id commendaverit, quod ea, quae ad multorum in auditorio gratiam assequendam facta erant, ad paucorum quoque favorem capessendum transferre valebat. Quin etiam ne stilo quidem a prolaliis abhorret[1]) et saturae Menippeae formis utitur, quas prolaliam non spernere supra p. 14 vidimus.

In urbe quadam Macedoniae Lucianus hanc epistulam scripsit; Macedoniae quoque in urbe declamationes illas habebat quibus Herodotum et Zeuxida praemisit, e quibus concludit E. Rohde, Roman² 330, 1 eandem ubique esse urbem quam dicit Thessalonicen; cautius de eadem re M. Croiset l. l. p. 28 iudicat, qui haec artis specimina eidem itineri tantum in Macedoniam facto attribuere vult. Quod autem Th. Sinko, Eos XIV 123. 150 coniecit Lucianum iuvenem conscripsisse Scytham[2]) et declamavisse Philippopoli, causis gravibus caret.

9. Perquam similis Scythae est Harmonidas; nam

---

docet (223 Raderm.) *δεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς· εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου.* Quibus verbis si epistulas (n. 8. 9) componimus, mirum est, quod utraque dialogum continet (8 Anacharsis et Toxaris; 9 Harmonidas et Timotheus colloquuntur), quem ad rhetorum opinionem epistulam dialogo vicinam esse vel similes leges reducendum puto.

1) cf. Demetrium qui loco quodam ex epistula Aristotelis allato pergit (225): *ὁ γὰρ οὕτως διαλεγόμενος ἐπιδεικνυμένῳ ἔοικεν μᾶλλον οὐ λαλοῦντι.* Fabulas autem et *ἐκφράσεις* quae *λαλιᾶς* sunt in epistulas susceptas esse s. p. Chr. n. I Peter docet l. l. p. 116.

2) Posteriori aetati hoc opusculum addicit W. Schmid, Phil. 50 p. 312.

ea quoque epistula est, qua sophista gratiam petit viri cuiusdam potentissimi,[1]) cui haec scribit. Harmonidas erat tibicen, cui quaerenti Timotheus magister dixerat clarum factum iri eum, quem principes et optimi ac potentissimi aestimarent magni talemque gratiam assequi ut studeret, discipulum monuit. Iterum igitur Lucianus narrationem praebet, quae duas in partes divisa est, in orationem Harmonidae[2]) (§ 1), cui intexta est ecphrasis *τέχνης*, et responsum Timothei (§ 2), quod *λόγον συμβουλευτικὸν* continet; tertia pars ut semper conclusionem exhibet, qua declamator illius tibicinis clarissimi consilio se quoque parere dicit. Deinde blanditias viri nobilis potentisque addit atque precatione[3]) ad deos versa finem facit.

Has prolusiones epistulas esse optime confirmatur et prooemio libri eius de quo infra agam n. 10 et eo, quod de aliis sophistis traditur. Velut Alexander Peloplato cum Athenas venisset, Herodi Attico epistulam misit qua eum ad audiendum invitavit (Philostr. Vit. Soph. II 5, 3 Kays.). At Philager quidam cum Athenis ab adulescente Herodis Attici discipulo se non satis honorifice putaret tractatum esse, magistrum eius clarissimum epistula perstrinxit; cui Herodes *δοκεῖς μοι, ἔφη, οὐ καλῶς προοιμιάζεσθαι* (Philostr. v. S. II 8, 1), e quo dicto tales epistulas cum prooemiorum loco ductas esse tum plerasque captationem benevolentiae continuisse intellegi potest. Itaque

1) Romani fortasse, cf. W. Schmid, Attic. I 213, 31; unde autem Th. Sinko, Eos XIV 122 oppidum Asiae et virum de Samosatis meritum de quibus loquitur sumpserit, ignoro.

2) Et hic et Herod. 2 virum clarissimum *δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ* dicit; praeterea fabulam de ulula et ceteris avibus hic indicat quae saepius adhibetur cf. infra n. 23. 30.

3) cf. supra n. 2, infra n. 32.

formam praefationum[1]) eas habuisse consentaneum videtur.

Hisce autem libellis quaestio movetur, utrae tempore priores et alteris exemplaria fuerint, conscriptae an dictae praefationes. Quoniam autem prolaliarum forma demonstrat eas ad audientes accommodatas esse magis quam ad legentes, priores fuisse enarratas verisimile est, a quibus postea usus ad epistulas translatus est.

10. Sed prolaliarum ratio apud Lucianum non modo in epistulis inveniri potest, sed etiam ut dixi in praefationibus librorum. Tale exstat prooemium libri cui Quomodo historia conscribenda est titulus, quod ex solito more tres in partes divisum est. Prima (§ 1. 2) Philoni amico praelocutione non praemissa, quod cum prolaliis convenit, abrupte fabellam narrare incipit de Abderitis, qui postquam Archelaus tragoedus Andromedam fabulam egit, tamquam furore impulsi non desinebant eius tragoediae versus recitare. Additur altera fabula (§ 3): Diogenes Cynicus, cum Corinthii omnes operam navarent ut urbem ab hostibus defenderent, ne unus reses esset, dolium in foro volvere coepit. Quid haec sibi velint, tertia parte (§ 4. 5) Lucianus explicat: illa fabula scriptores, qui ad unum omnes bella eo tempore contra Parthos gesta scribunt indicat, altera se ipsum[2])

1) Quibus epistulis examinatis si respicimus Herodotum Luciani (n. 5) et consideramus unum virum esse quem prima alteraque parte adloquitur, hae partes fortasse epistulae eadem atque 8. 9. arte conscriptae reliquiae sunt, cuius tertia parte deperdita exitus prolaliae cuiusdam enarratae conclusione suppletus est.

2) Simili ratione Lucianus ἐν τῇ πρὸς Νιγρῖνον ἐπιστολῇ utitur, ubi primum proverbium Γλαῦκα εἰς Ἀθήνας ad se referri posse dicit, tum verbis Thucydidis allatis se non esse imprudentia motum, ut scriberet, probat.

inter eos aliquid sibi faciendum esse putare. Quo prooemio peracto, quod et prolaliarum more compositum est et satiram Menippeam sapit, medias in res introit (§ 6).

11. Praefationibus etiam libellus cui inscribitur *πρὸς τὸν εἰπόντα Προμηθεὺς εἶ ἐν λόγοις* a nonnullis viris doctis (M. Croiset l. l. p. 75, Th. Sinko l. l. p. 127, A. Thimme, Quaest. p. 4) attribuitur.

In exordio enim non fabulam, sed argumentum de quo disputaturus est ponit *Οὐκοῦν Προμηθέα με εἶναι φῄς;* Quod primum pro ludibrio habet, tum (§ 3) serio de eo agere incipit nec parcit imaginibus, comparationibus, versibus, quibus de se suaque arte, praecipue quid novi praebeat, disserit.[1]) Hoc opusculum lalia certe est. Sed num prolalia, dubium esse posset, cum neque oratio amplior quae subsecutura sit ullo verbo indicetur neque orator benevolentiam auditorum sibi captitet et exspectationem vix incitet, etiamsi constabit eum in auditorio[2]) hunc Promethea dixisse. Quod et unum auditorem (§ 1 *φῄς*, § 2 *λέγοις*, § 7 *τῷ Προμηθεῖ τῷ σῷ*) et multos qui audiunt (§ 1 *ὑμεῖς* ... *ὑμῖν* ... *διαλλάττοιτε* ... *πλάττετε*) appellat, consideremus necesse est sophistas, ubi multorum sententias improbant falsas, tamquam ad unum se vertere et hunc inducere.[3]) Cum vero hoc opusculum solum in auditorio dictum esse ob exiguitatem non possit, alteri orationi antecessisse sumam.

1) Eandem artem, qua Lucianus sententiam argumenti aliis atque aliis comparationibus pertractat, similiter postea invenimus velut n. 23.

2) cf. § 2 *ἡμεῖς δὲ οἱ ἐς τὰ πλήθη παριόντες καὶ τὰς τοιαύτας τῶν ἀκροάσεων ἐπαγγέλλοντες.*

3) cf. quod Choricius, Philol. 54 p. 122 subtili diligentia claris verbis dicit.

12. Dissertatio de domo quam et ipsam viri docti[1]) praelocutionem esse dixerunt non est praefatio[2]) verum oratiuncula rotunda et in se conclusa eius generis, quod *ἐγκώμιον*[3]) vocatur. Distat autem haec a prolaliis non solum ambitu qui duplex Somnii (n. 7) ambitus est, sed etiam eo, quod exemplorum non duo sed acervus congestus est, fabulae tantum significantur, imagines breviter enumerantur; at narrationes desunt neque oratoris res indicantur. Fortasse autem in principio huius dissertationis ipso quasi elementa prolaliae inveniri possunt. Leguntur enim haec (§ 1): Ut Cydnus Alexandrum Magnum ad corpus lavandum illexit, ita domus pulchra oratorem ad praedicandum aedificium adducit. His in sententiis exstant et *τὸ πρόσωπον τὸ τηλαυγές*[4]) et *ἡ παράδοξος διήγησις* quae attentos efficiunt auditores; tum sequuntur pauca, quae de se dicit orator, quibus inclusa est causa, cur oratiunculam habeat, h.e. urbana captatio benevolentiae.

Postquam quaecumque Luciani scripta cum pro-

---

1) E. Rohde, Roman² 333, 2; Ivo Bruns, Vortraege u. Aufsaetze, Muenchen 1905 p. 245 ss. De genuina origine dubitant F. G. Welcker, Hallesche Allg. Litteraturzeit. 1836 Oct. p. 192 atque etiam nuper K. Funk, Unters. ueber die Lucianische vita Demonactis. Philol. Supp. X 1907 p. 566.

2) Quod M. Rothstein clare demonstravit l. l. p. 117.

3) *ἐγκώμια* de variis argumentis dicere sophistas adamasse inter omnes constat, ut facultates suas *ἐκφράσεως* et *ἐπαίνου* demonstrarent; sic inter Luciani opera exstant Hippias, *ἐγκώμιον πατρίδος*, *ἐγκ. μυίας*, quae prolaliis adscribenda esse E. J. Putnam falso contendit (Lucian the sophist. Classical Philology IV, Chicago 1909 p. 164). Progymnasmatorum quoque pars est *ἐγκώμιον*.

4) cf. Pindari Ol. VI 4 *ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές*, ubi carmen cum domo, prooemium cum porticu comparat et laudationem principis annectit. Usque ad hanc Pindari sententiam artis suae leges reducere recentiores sophistae non dubitabant, v. Themistii or. VII p. 101, 15 (34 d) Dind. *πρέπει γὰρ οἶμαι κατὰ τὴν Θηβαίων λύραν τοῦ λόγου θέσθαι πρόσωπον τηλαυγές*.

lusionibus cohaerent collegimus, quae iis communia sunt, paucis verbis concludamus. In omnibus fere orator exorditur a fabella[1]) vel narratione, inprimis rerum quas ipse viderit; incipit autem abrupte[2]) semperque aliquid mirabile primo loco ponit, quo exspectationem audientium se moturum arbitratur.[3]) Narrationum plerumque duas coniungit quae idem argumentum adumbrant; interdum autem — quod maioris artis documentum est — prior alteram praeparat (n. 2. 6. 8). Tertia pars conclusio est, qua orator eandem sententiam, quam antea allegorice significavit, scite exponit suamque modestiam plerumque demonstrat et auditorum exspectationem aut minuit aut auget sibique benevolentiam captat. Eundem ad finem spectat, si urbem laudat eiusque incolas. Rarius aemulorum adversariorumque mentionem facit (3). Ne tamen desideres, quae non inveniantur, afferenda mihi esse puto haec: Fabulam, qua bestiae ut homines agunt, nunquam adhibet Lucianus[4]) nec,

---

1) Eaedem etiam in aliis Luciani operibus occurrunt velut *πρὸς τὸν ἀπαίδευτον* § 7 ss., ubi indoctum cum Thersite comparans fabulam narrat de Euangelo Tarentino descriptione aliisque luminibus ornatam, praemissis ut solet verbis: *ϑέλω γοῦν σοι διηγήσασϑαι*; simillime *περὶ τῶν ἐπὶ μισϑῷ συνόντων* § 33 ss. Ergo fabula non prolusionis solius propria est, sed lumen rhetoricum alibi quoque adhibitum.

2) quod generis *ἀφελείας* proprium est cf. Hermog. II id. *β* III (Rh. Gr. II 355, 32 Sp.). Exempla orationum abrupte ineuntium collegit R. Hirzel, Dialog II 108.

3) Eadem ratione oratores in sermonibus ipsis imprimis ad finem eorum utebantur, velut Themistius *περὶ ἀρετῆς* Rh. Mus. XXVII (1872) p. 438 ss. in fine § 45 ss. fabellas conglobat (v. Rh. Mus. l. l. adn. p. 461, 1).

4) Saepius Dio iis utitur v. n. 23. 30. atque etiam Lucianus haud raro ad eos alludit, si omnes eius libros perquirimus; cf. Th. W. Rein, Sprichw. u. sprichw. Redensarten bei Lucian. Diss. Tueb. 1894 in indice.

quamquam saepius ipsam quae insequebatur orationem significat, accuratius indicat quas res narraturus sit. Quod eam ob rem mihi factum esse videtur, quia talis lucubratio non semel in una tantum urbe dicta sed paucis sententiis mutatis, si alio rhetor pervenit, repetita est. Memoriter eas fortasse pronuntiatas esse A. Thimme, Quaest. p. 5 iudicat, quod licet verisimile sit tamen argumentis probari non potest. Quia autem summa arte adhibita hae oratiunculae perfectae sunt, placebant atque, quae vel ab ipsa oratione, quae olim sequebatur, disiunctae servarentur, dignae sunt iudicatae.

Lucianum, quia eius opusculis, quid prolaliae sint optime demonstrari potest titulis ipsis nobis servatis, primum examinavi. Sed apud eum neque initium huius usus rhetorici neque finis est, verum vel alios rhetores prologis similiter compositis usos esse scimus. Quos iam ex temporum ordine recensebo nullo discrimine facto, sive opera eorum nobis servata sunt sive alii scriptores nos de deperditis certiores faciunt.

Saeculo p. Chr. n. primo Seneca pater libros, quibus controversiarum a rhetoribus[1]) eiusdem aetatis habitarum exempla collegit, praefationibus ornabat, quae plurimi aestimandae sunt, quia, quod alibi non invenitur, nos de vita et disciplina eorum certiores faciunt, qui tum controversias declamabant. Itaque quaeramus, utrum huius quoque generis declamationibus prolaliae praemissae sint necne.

13. Narrat autem Seneca de Cestio contr. III praef. 16: 'Memini me intrare scolam eius, cum recitaturus esset in Milonem; Cestius ex consuetudine sua miratus dicebat: si Thrax essem, Fusius essem; si pantomimus essem, Bathyllus essem; si equus, Melissio. Non continui bilem, exclamavi: et si cloaca

1) cf. indicem rhetorum ab Henrico Bornecque curatum l. l. p. 143 ss.

esses, Maxima esses.'[1]) De prolusione ante declamationem ipsam a Cestio dicta agi manifestum est; nondum enim recitat in Milonem, sed est recitaturus; de se ipso loquitur, quod Luciani in prolaliis saepius inveniri supra p. 18 commemoravimus. Se ipsum laudat atque iactat, scilicet ut audientium animis declamationis magnificentissimae futurae exspectationem iniciat. In balneo publico[2]) haec Cestium dixisse ex verbis Senecae quae sequuntur elucet, atque eum non exercitationis sed ostentationis causa declamasse suspicor, quoniam exercitationi tam magnificam sui laudationem praemittere rhetori minime opus fuit.

14. Quae ex aliis Senecae locis lucramur pauca sunt, velut contr. I praef. 21: 'Id quod nunc a nullo fieri animadverto, semper fecit Latro; antequam dicere inciperet, sedens quaestiones eius, quam dicturus erat, controversiae proponebat, quod summae fiduciae est.' Haec autem dicendi ratio postea non tam ad nostra praeludia quam ad id praefationum genus, cui *ϑεωρία* vel *προϑεωρία* nomina fuerunt, de quo supra p. 3, 3 aliquid disserui, versa excultaque est.

15. Etiam minora praebet contr. III praef. 11. 'Silo Pompeius sedens et facundus et literatus est et haberetur disertus, si a praelocutione dimitteret: declamabat tam male, ut videar belle optasse cum dixi: nunquam surgas.'

Quibus e locis comperimus in declamationibus Senecae aetatis aliquid interfuisse inter ipsam orationem, h. e. controversiam, et praefationem. Hanc orator sedens[3]) dicebat, illam postquam surrexit. Est

1) Simillimum iocum invenies infra n. 65.

2) Quem morem satirico dente Horatius arrodit sat. I 4, 74 et Martialis ep. III 44, 12; cf. L. Cresollium, Theatrum p. 509.

3) quod iam L. Cresollius annotat Theatr. p. 415; cf. Senecam contr. I praef. 12; VII praef. 1; Plin. ep. VII 17, 9 (cf. infra n. 18); Philostr. Vitas soph. I 21, 5; I 25, 7; II 27, 5.

autem illius vox sollemnis 'praelocutio' vel quae saepius invenitur 'praefatio'; quae nomina cum eadem ratione ac προλαλιά formata sint, idem significare possunt.[1]) Sed hoc a prolalia distant: licet oratores pauca de quaestione ipsa dixerint, at neque fabulas neque similia lumina adhibent.

16. Ex rhetoribus a Seneca allatis unus est Hybreas[2]) Mylaseus (v. indicem editionis controversiarum Kiesslingianae s. v. Hybreas pater) de quo Strabo dicit XIV (659) 2, 24: Ὑβρέᾳ δ' ὁ πατήρ, ὡς αὐτὸς διηγεῖτο ἐν τῇ σχολῇ καὶ παρὰ τῶν πολιτῶν ὡμολόγητο, ἡμίονον κατέλιπε ξυλοφοροῦντα καὶ ἡμιονηγόν. Est igitur διήγησις de vitae initio exili, quam et discipulis in schola narravit et civibus in patria dixit. Quae consideranti Luciani similis de se oratiuncula (n. 7) in mentem reducitur, tamen cogitari possit etiam e suasoria, quippe cum Hybreas ἀνὴρ πολιτικός (cf. Strabonem l. l., Plut. Ant. 24) fuerit, hoc sumptum esse aut ex oratione iudiciaria, ubi oratores talia afferebant, si διαβολήν adversarii refutabant vel ironice de se dicebant.[3]) Sed si consideramus eandem sententiam in schola quoque ab Hybrea narratam esse et ad declamationes ipsas, quae in scholis exercebantur, vix eiusmodi locos aptos fuisse, verum in prolusionibus de se rhetores talia afferre solitos esse, occasione op-

1) cf. R. Volkmann, Rhetorik der Griechen u. Roemer², Leipzig 1885 p. 361. Sic et Quintilianus ipse inst. or. II 21, 20: 'cum aliquid, de quo dicamus, accepimus, positam nobis esse materiam frequenter etiam praefatione testamur', et Tacitus de orationis iudiciariae prooemio dial. 20 'Corvinus de infirmitate valetudinis suae praefans'; cf. praeterea Plinium infra n. 18.

2) cf. Buschmann, Charakteristik der gr. Rhetoren beim Rhetor Seneca, Progr. Parchim 1878 p. 10; E. Stemplinger, Strabos litterarhist. Notizen. Diss. Muenchen 1893 p. 35.

3) cf. W. Suess, Ethos. Studien zur aelteren gr. Rhetorik, Leipzig und Berlin 1910 p. 245.

tima gloriandi Hybreae data (cf. n. 13), quoniam ex infima paupertate ad summos patriae honores ascendit, hanc narrationem in prolalia exstitisse mihi verisimile videtur.

17. Senecae autem annotationes Plinii epistulis, quod ad illarum attinet tempus complentur. Sic ep. I 13, 1 neglegentes describit auditores qui 'sibi nuntiari iubent, an iam recitator intraverit, an dixerit praefationem,[1]) an ex magna parte evolverit librum'. Hoc loco de poetis declamantibus sermo est; sed de oratorum quoque usu idem comperimus.

18. Velut ep. II, 31 primum Isaei, aetatis illius rhetoris celeberrimi, virtutes eiusque dicendi genus universe laudantur,[2]) tum quomodo ille in auditorio agere soleat, secundum partium ordinem exponitur: 'praefationes tersae, graciles, dulces, graves, interdum et erectae, poscit controversias plures, electionem auditoribus permittit, saepe etiam partes, surgit,[3]) amicitur, incipit.' Tum praedicat Plinius, quae in declamatione ipsa inveniantur laudabilia: § 3 'Prooemiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelse, postremo docet, delectat, adficit, quid maxime, dubites.' His igitur verbis docemur, quid intersit inter praefationem et prooemium: ubi orator in auditorio loqui incipit illa, ubi declamationem ipsam vel recitationem exorditur, haec vox adhibetur. Quaenam autem in praefationibus ille tractaverit, ex his Plinii verbis concludere non possumus.

19. Sed talia Plinius narrat, ubi alterius oratoris mentionem facit, Valerii Liciani. Scribit enim ep.

---

1) De hac voce v. p. 38.

2) Plinius § 1 'dicit semper ex tempore' contradicit Philostrato vitae soph. I 20, 2 (ὁ Ἰσαῖος) *τὰς δὲ μελέτας οὐκ αὐτοσχεδίους ἐποιεῖτο.*

3) ergo dum praefationem dicebat sedebat cf. supra p. 37, 3.

IV 11, 1 'Audistine Valerium Licianum in Sicilia profiteri? . . . . nunc eo decidit, ut exsul de senatore, rhetor de oratore fieret. Itaque ipse in praefatione[1]) dixit dolenter et graviter: "quos tibi, Fortuna,[2]) ludos facis? facis enim ex senatoribus professores, ex professoribus senatores" . . . Idem, cum Graeco pallio[3]) amictus intrasset . . . postquam se composuit circumspexitque habitum suum "latine, inquit, declamaturus sum".. Praefatione igitur hic rhetor utitur, ut auditores de sorte sua doceat et de sermone, quo declamaturus sit, quem ex habitu cognoscere non poterant, ergo de se suisque rebus agit; una igitur ex partibus, quas apud Lucianum invenimus, exstat, alteram desideramus, quae fabulas vel narrationes continet. Neque vero hanc olim exstitisse suspicari licet, cum eam periisse tam multis alterius testibus minime verisimile sit.

20. Ep. VIII 21, 3 Plinius praelocutionem, quam ipse dixit, amico adumbrat: 'forte accidit, ut eodem die mane in advocationem subitam rogarer, quod mihi causam praeloquendi dedit. Sum enim deprecatus, ne quis ut inreverentem operis argueret, quod recitaturus, quamquam et amicis et paucis, id est iterum amicis, foro et negotiis non abstinuissem. Addidi hunc ordinem me et in scribendo sequi ut necessitates voluptatibus, seria iucundis anteferrem ac primum amicis tum mihi scriberem.' Haec Plinii verba docent declamatorem se paululum excusavisse,

---

1) quo prologo Laberium poetam verbis imitatus est; cf. E. Norden, Kunstprosa I 320 et infra n. 81.

2) ad deos oratorem se vertere vidimus supra p. 16 et infra n. 32.

3) Vestis igitur declamatoris Graeci non senatoris Romani erat; cf. de sophistarum vestimentis ea, quae L. Cresollius, Theatrum 237 et E. Rohde, Roman[2] 331, 2 collegerunt.

ut benevolos sibi efficeret auditores. Si Luciani artem cogitamus, Plinium ad hoc praeludium componendum fabella usum esse exspectaremus; sed hoc eum fecisse mihi persuadere non possum, quia, si id fecisset, silentio non praeteriturus fuisset is, qui alibi quid ingeniose cogitaverit, quid facete dixerit, quid amici admirati laudaverint, accuratissime adnotet atque, ut legatur, curet. Ergo ex locis a Seneca et Plinio traditis concludi potest in praefationibus de se declamatores Romanos res attulisse, quod initiis orationum praecipue aptum est, ut audientium animos sibi conciliarent; imaginum autem descriptarum vel fabularum usum iam tum iis notum fuisse statuere nequimus.

Sed iam Romanos relinquamus et ad sophistae et philosophi inter Graecos Plinii tempore praestantissimi Dionis Prusaensis opera perscrutanda transeamus. Eum in hac arte excolenda quasi Luciani antecessorem[1]) esse cognoscemus.

21. Ac primum commentationem, cui inscribitur Nestor, examinemus (or. LVII, ed. v. Arn. II p. 125). Primum versu Homeri, quibus Nestor[2]) se summis

1) Prolusiones Dioneas nonnullas indicant H. v. Arnim, Entsteh. u. Anordn. der Schriftsammlung des Dio v. Prusa, Herm. 26 p. 392 (infra n. 21). Idem Leben und Werke des Dio v. Pr., Berlin 1898 p. 410 (n. 21), p. 173 (n. 22), p. 438 (n. 23. 24. 25. 27); cf. W. Schmid, P. W. V s. v. Dion 870, 68, et Attic. I 36.

2) Nestoris suadelam ut *τοῦ συμβουλευτικοῦ γένους* exemplum primus affert Aristoph. nub. 1056, ubi *ὁ ἄδικος λόγος* sophistice se defendit, ex quo eam iam sophistas priores adhibuisse concludere fortasse licet, quos posteri rhetores sequebantur; cf. Anon. Seguerian. Rh. Gr. I 429, 10 Sp., Anon. *προλεγ. τῆς Ἑρμογ. ῥητορικῆς*, Rh. Gr. IV 10, 8 Walz, Libanium *περὶ τοῦ μὴ ληρεῖν* (Foerster) I 1 p. 288. Nestorem in proverbiis adhibitum esse docet E. Salzmann, Sprichw. u. sprichw. Redensarten bei Libanios. Diss. Tuebing. 1910, p. 15.

quondam viris, ut sibi obsequerentur, persuasisse gloriatur, in principio recitato orator explicat (§ 2—5): non ostentationi cessisse Nestorem, sed quoniam plerique notos tantum et probatos oratores libenter audiant, senem Pylium narrare qua auctoritate apud priores fuerit. Deinde eum comparat cum medico, qui curationes feliciter factas narrat, ut aegrotis pavidis fiduciam iniciat (§ 5); tum sententiis breviter repetitis Nestoris exemplum iterum explanat (§ 6—10): cum illos reges superbia perire videret, iure Nestorem indicasse aliis iisdemque potentioribus orationem suam placuisse, etsi tunc regibus non placuerit, quibus verbis Dio efficere vult, ut auditores intellegant oratorem quemlibet similiter atque ille gloriantem recte facere. Denique aliam pertractat quaestionem (§ 10), utrum liceat eandem orationem iterare, quod licere probat (§ 11) exemplis Socratis et tragoediarum saepe iteratarum[1]). Itaque se quoque orationes, quas antea coram imperatore habuit, iam repetiturum, ut populis prosit (§ 12). In fine viros a Persarum rege in populum emissos non praeterit aures regis[2]) qui vocabantur; imprudentem fuisse eum

1) Idem de se et Socrate dicit or. III 27, or. XIII quae ex Xenophontis com. IV 4 hausta esse docet J. Wegehaupt, De Dione Chrysostomo Xenophontis sectatore. Diss. Gott. 1896 p. 51, qui Dionem et alibi se ipsum imitari annotat p. 23, 2. Quanto autem studio Socratem imitatus sit Dio, R. Hirzel, Dialog II 89, 2 exponit.

2) Et aliis locis velut or. VI 35 (cf. ed. Arn. indicem s. v. Domitianus) et hic sub Persarum regum imagine imperatores Romanos vituperat, quippe qui hac aetate illam Persarum regum institutionem imitati sint (cf. L. Friedlaender, Sittengesch. Roms[8] I 433). Tales sententiae origine Cynica vel Stoica ortae quibus locis similes inveniantur, docent F. Susemihl, Arist. Politeia gr. u. deutsch II adn. 654; K. Praechter, Hierokles der Stoiker, Leipz. 1901, p. 56, 4; E. Salzmann hoc exemplum inter proverbia receptum esse annotat l. l. p. 51.

arbitratur, cum aures regis, ne mali quid invadat, magis quam illam platanum[1]) custodiri oporteat.

Ex iis, quae attulimus, plane cognoscitur hanc oratiunculam praelocutionem esse, quam Dio orationi cuidam, antea ad Traianum habitae, tunc in vulgari auditorio repetitae praemisit. Suam rem fabellis lepide adhibitis pertractat, dum ne quid falsum de se ipso auditores arbitrentur, exemplo Nestoris prohibet. Quem finem ut assequatur, versus Homericos quosdam accurate ita interpretatur[2]), ut ad finem suum quadrent. Versibus his aliisque innexis sermonem in satirae Menippeae formam redigit, quam Cynicos adamasse constat. Quorum ex sermone, cum cynici hominibus medicos se esse datos saepius dicerent, exempla quoque sumpta esse videntur ea, quibus cum arte medicina[3]) Dio res aliquas comparat (§ 4. 7. 8).

1) Quam πολυθρύλητον arborem, luxuriae exemplum Herodoto VII 31 depromptum, vix posteriorum quisquam silentio praeterit; cf. W. Schmid, Atticism. III 5 s. v. Aelian, E. Weber, Leipz. Studien X 96, 2. Addas Luc. de domo 5; Himer. or. V.

2) Saepius eodem modo agit Maximus Tyrius (infra n. 64), cuius rationis vestigia retro usque ad Antisthenem et eristicorum scholam persequi possumus; cf. H. Usener, Quaest. Anaxim. Gotting. 1856, p. 14. Hanc consuetudinem Cynici ita excolebant, ut primum versus exponerent, mox autem ad ethica praecepta deflecterent orationem; cf. E. Weber, Leipz. Stud. X 224. Idem etiam in epistulis privatis velut Libanii legimus v. E. Salzmann l. l. p. 99 ss.

3) cf. R. Helm, Luc. u. Menipp, p. 70. 240; R. Hirzel, Dialog II 92, 1. Sed iam pridem oratores hac comparatione usi sunt, v. Demosth. de cor. 243 (similiter Sophocl. Aias 581 οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι); alios locos affert W. Schmid, Attic. IV 486, 11. Posteris temporibus saepius ut aptissima in consolationibus adhibita est, v. J. Bauer, D. Trostreden des Gregor v. Nyssa in ihrem Verhaeltnis zur antiken Rhetorik. Diss. Marb. 1892, p. 55. 65. Artem autem rhetoricam ipsam cum medicina priores sophistae comparabant; cf. W. Suess, Ethos p. 77.

22. In lucubratiuncula similiter ac Luciani somnium in patria dicta (Διάλεξις ἐν τῇ πατρίδι or. XLII ed. v. Arn. II p. 61) de se ipso tantum orator loquitur, dum primo (§ 1—3) suam dicendi vim modeste minuit, tum paululum viris qui plus aliis se scire glorientur increpitis, hoc ipso loco, quam sit clarus, urbane indicat (§ 3). Deinde se cum bestiolis[1]) quae ab hominibus capiantur, quia etsi nescientes materiam ad medicinas parandas aptam in corpore habeant, comparat et orationes suas ab aliis publici iuris factas corruptasque cum carminibus malis[2]) a pueris ad vesperum corrupte cantatis componit[3]); in fine novam constituit comparationem inter verba sua et opus figlinum Tenedi[4]) factum. Quicumque inde redit, vascula secum fert; sed vix est, qui domum apportet infracta.

Quin hoc opusculum sit prolalia, dubitare nemo potest. Primis oratiunculae verbis πότερον ὄντως ἐπιθυμεῖτε τῶν λόγων et comparationibus, quas adhibet, ampliorem orationem quae subsecutura sit indicat atque talem, quae medicinam auditoribus praebere pos-

1) quas Cynici in comparationibus afferre solebant; cf. E. Weber, Leipzig St. X 173.

2) Quae comparatio, cum inhonestum non reformidet, mere Cynica videtur esse.

3) oratore nolente a notariis Dionis orationes conscribebantur, quod alii quoque oratores conqueruntur, Seneca contr. I pr. 11; Quintil inst. or. VIII 2, 24; Apuleius infra n. 43; cf. v. Arnim, Dio v. Pr. p. 172; E. Rohde, Roman² p. 344 adn. De hoc conscribendi usu a Christianis suscepto agunt E. Norden, Kunstpr. II 536, 1; 564, 1; P. Wendland, Christentum und Hellenismus in ihren literarg. Bezieh., Neue Jb. für d. kl. Altert. 1902 p. 14, 2; idem Goett. gel. Anzeigen 1901 p. 780; E. Rohde, kl. Schr. II 445.

4) cuius mentio hoc uno literarum loco fit; cf. B. Buechsenschuetz, Die Hauptstätten des Gewerbefleisses im kl. Altert. Preisschr. d. fürstl. Jablonowskischen Gesellsch. Leipz. 1869 p. 22.

sit, h. e. cynicam adhortationem. Composita autem est non ad Luciani normam, quoniam fabellas non continet, verum qua ratione illae praelocutiones, de quibus Seneca III pr. 16 (supra n. 13 ss.) et Plinius ep. IV 11; VIII 21 (supra n. 17 ss.) agunt, quibus declamator de se suaque auctoritate audientes certiores faciebat vel se excusabat, contextae fuerint, hac praefatione explanatur. Eorum autem exemplorum, quibus Dio ornat sermonem, unum et ipsum ad medicinam artem spectat (§ 3); praeter quod alia, quae in viis et vita domestica conspici possunt, affert ut Cynicus, quorum similia ab Antisthene dicta inveniuntur (cf. E. Weber p. 173) aut ad Bionem reduci possunt (cf. Praechter, Hierokles der Stoiker p. 61, 1). Affectatur autem his ridiculum dicendi genus (*τὸ γελοῖον*), cui quantum Diogenes eiusque asseclae tribuerint, ex E. Weberi dissertatione p. 86 ss. discimus. Quod autem sophistas vituperat, hoc etiam Luciani in electro (supra n. 3) invenimus. Qui vituperationis locus ex argumento totius praefationis facile oritur vitio, quod modestiae contrarium est, huic virtuti opposito.

23. Novum quiddam nobis obviam fertur, si orationis quae inscribitur *Ὀλυμπικὸς ἢ περὶ τῆς πρώτης τοῦ θεοῦ ἐννοίας* (XII ed. v. Arn. I 155) praelocutionem inspicimus. Nam oratio ipsa nobis servata et cum praefatione coniuncta est, quae tota 85 paragraphos continet, quarum quarta pars § 1—21 prolusioni assignanda est. Cum editionis Teubnerianae paginae fere 6 sint, minor Lucianeis prolaliis maioribus est. Quae in illa praefatione exstant, sunt haec: Abrupte Dio incipit interrogans, sitne ipse Olympiae passurus *τὸ τῆς γλαυκὸς ἄτοπον καὶ παράδοξον πάθος*, quibus verbis sicut Lucianus[1]) rem novam et a fide

1) cf. supra p. 14.

abhorrentem indicat atque hoc *πρόσωπον τηλαυγές* ornatissime exstruit, ut auditorum animos capessat. Componit autem se suosque adversarios cum ulula avibusque eam persequentibus cuius comparationis sicut supra n. 21 versuum Homeri interpretatione prolusionem complet. Praeclara enim descriptione et ululae aviumque, quae ad eam conveniunt, et pavonis[1]) atque olorum[2]) lusciniarumque[3]) perfecta et ad se versa (§ 1—5) accuratius ululam bono consilio prodesse fabula Aesopea allata[4]) (§ 6—9) cum demonstraverit, suam modestiam indicat et forma *εἰρώνειας* adversarios graviter castigat[5]) (§ 9—13). Tum eadem

1) Pulchritudo pavonis eiusque ostentatio a sophistis, ubi fieri potest, affertur v. Luc. de domo § 11; Max. Tyr. XXV 2 Hob. Sic et Dio ipse a Synesio cum pavone comparatur II 317, 32 ed. v. Arn. Et in scholis docuerunt Liban. progymn. IV 1073 Reiske; Hermog. progymn. Rh. Gr. II 3, 14 Sp. *οἷον περὶ κάλλους τις ἀγωνίζεται, ταὼς οὗτος ὑποκείσθω.* Itaque etiam superbiae exemplum fit, velut Luc. Nigrin. 14; cf. praeterea W. Schmid, Attic. I 213; E. Rohde, Roman² 331. 341.

2) cf. Luc. Bacch. 7 supra p. 13; Himer. or. VI alios.

3) cuius cum vocibus sophistae saepe se comparant; v. Philostr. Vitae soph. II 10, 8 II 21, 4; Max. Tyr. XXV 2.3 Hob.; Apuleium infra n. 42; E. Rohde, Roman² 331.

4) Aes. fab. Halm n. 105. 106; v. W. Schmid Attic. III 5. Hoc loco primo fabula quaedam invenitur qua bestiae hominum vice agunt, qui usus ex arte Cynica populariter dicendi ortus est. Sed rhetorum quoque in scholis talia narrare pueri discebant; cf. R. Hirzel, Dialog II 108.

5) Dionem eos viros re vera serioque commendare, ut v. Arnim Dio v. Pr. p. 445 vult, verum esse ne concedam, cum ceterae sententiae (§ 10) me commovent tum hae: *χρήματα διδόντες καὶ ἄλλῳ τρόπῳ πείθοντες, εὐδαιμονέστεροι ἔσεσθε αὐτῆς τῆς εὐδαιμονίας*, quod Socrates Platonicus, sophistas priores vituperans dixit (Sophista 231 D) ac similiter Isocrates (Bus. § 1—8), et § 11 *καὶ γενόμενοι σοφοὶ παρὰ πᾶσι Ἕλλησιν καὶ βαρβάροις ὀνομαστοὶ ὦσι τὸ λοιπὸν διαφέροντες ἀρετῇ καὶ δόξῃ καὶ πλούτῳ καὶ δυνάμει τῇ πάσῃ σχεδόν.* Similes sententias eadem mente similibus verbis dicit or. XXXV 10; or. XXXIII 4; cf. etiam or. XXXVII 1.

avium imagine usus annectit (§ 13) sophistae se posse emolumento esse sicut ulula aucipi, ut ceteras aves alliciat. In iis quae sequuntur de se orator loquitur; res suas minuendo, ut ab auditoribus parvi aestimetur studet (§ 14—17) hilari ironia porro usus. Tum quae ipse nuper ad Istrum Getarum in regione viderit, fusius narrat (§ 17—21). Ita hic quoque ut Lucianus populis peregrinis commemoratis, de quibus novum audire praeterea illo bellorum Geticorum tempore[1]) praecipue audientium intererat, animos capit. Sequitur propositio orationis ipsius (§ 21), cuius prima tantum verba ad ea, quae modo dixit, respiciunt. Cum ipsa autem oratione ea, quae modo perpendimus, nullo modo coniuncta sunt: prolaliae igitur naturam aperte prae se ferunt.

Fabulam illam eiusque interpretationem cum narratione suarum rerum aptissime conectit et ecphrases praeclaras, cavillationes adversariorum acres, comparationes lepidas intexit affabre, versibus insuper (§ 14. 17) inspersis[2]). Quantopere autem demonstrare simulat se modestum incultumque[3]) esse, tantopere sententiarum lepida coniunctione et sermonis excogitata forma simulationem delet.

24. Ut oratione Olympica in qua de dei cognitione locutus est dei maximi laudes celebravit magno multorum hominum conventu, sic

---

1) cf. B. Niese, Roem. Gesch.[3], München 1906, p. 298 ss.

2) Haud recte H. Stich, Drei Reden des Dio Chrysostomus. Progr. Zweibruecken. 1890 p. 5 praefationem orationis Olympicae valde iniucundam dicit.

3) De oratoribus, qui dicendi imperitiam excusant (cf. infra Apuleium n. 40. 42) v. E. Norden, Kunstprosa II 495, 1; E. Wenkebach, Quaestiones Dioneae. Diss. Berol. 1903 p. 47. Dio ipse in fine orationis § 85 idem denuo dicit; vide or. XXXV 5 infra.

etiam orationem Tarsicam priorem[1]) (XXXIII ed. v. Arn. I 297) in permagno auditorio habuit. Eo autem haec a superiore distinguitur, quod cives urbis admonet bonumque dat consilium atque in ipsa prolalia totius orationis finem spectat. Primis ipsis verbis auditores docet, ne epideixin exspectent[2]) neve urbis laudationem rhetoribus, qui talia praebent, cum avibus dulce cantantibus comparatis. Tamen, ne audientes oratorem ducant indoctum, tamquam praetereundo legibus encomii observatis urbem laudat[3]) breviterque incolis blanditur (§ 1—4). Tum non solum ex sophistis unum sese non esse dicit atque etiam eos (§ 4—9), quia non tam prosunt quam delectant, obiurgat. Deinde et exemplo Atheniensium qui a iocosis comoediae poetis, non a serio Socrate se vituperari siverint (§ 10. 11) et συγκρίσει Homeri laudatoris cum vituperatore Archilocho (§ 11—13) et fabula Aesopea paucis antea de sua austeritate additis (§ 13—16) auditores urbane castigat praeparatque paulatim ad insequentem orationem adhortativam cum silentio accipiendam cuius argumentum iam (§ 17) dicit: Tarsenses etsi felices se esse putent, non tamen esse.

Haec praelocutio versibus inspersis (§ 4. 14. 15) et comparationibus abundat (§ 1. 5. 6. 9. 10), velut § 5. 6 comoediarum poetas componit cum nutricibus[4]), quae medicinam amaram poculis melle illitis praebere

1) cf. de hac oratione v. Arnim, Dio v. Pr. p. 438. 448.

2) διαλέγεσθαι in ipso initio dicit, ergo verbo utitur, quod ad διάλεξιν vel λαλιάν spectat; cf. supra p. 5.

3) mirum quod ubi Cydnum commemorat Alexandri Magni exemplum (cf. Luc. de domo § 1 supra n. 12) non affert.

4) or. IV 74 se ipsum comparat cum nutricibus, quae pueros castigant et flentes oratiunculis dulcibus mitigant. — Nutricum exemplum, quas vituperet, Aristophanes adhibet equit. 717.

soleant infantibus, quae comparatio[1]) optime etiam ad Dionem ipsum eiusque artem refertur. Amplectitur autem haec praefatio 5 fere paginas editionis Teubnerianae.

25. Simili argumento est oratio ad Alexandrinos habita (XXXII ed. v. Arn. I 267); sed maiore ambitu quippe quae octo fere paginas Teubnerianas compleat; ergo Lucianeis maximis maior est (cf. supra p. 27 s.). Eo autem a ceteris differt, quod, dum milites Romani in theatro aderant[2]), hanc habuit orationem ideoque, ne interrumperetur aut, quominus porro diceret, impediretur, non metuit; ergo exspectationem augere benevolentiamque auditorum usitatis blanditiis sibi capere minime necesse erat. Verum id spectat, ut quam maxime ab audientibus aestimetur. Quam ob rem iterum atque iterum dicit, quam sit turpe virum non audire, qui seria afferat (§ 1. 5), qui cives vel vituperando doceat (§ 7), qui, quia meliores reddere eos cupiat, iniucunda graviaque[3]) dicat (§ 18); sic gradatim auditores praeparat, ut adhortationes, quae in oratione ipsa inveniuntur, bono animo accipiant. Argumento ipsius orationis (§ 25) *διελεύσομαι περὶ δήμου φύσεως* posito prolusionem finit. Huius sententiarum autem capita se suscipiunt haec: Caret Alexandrinorum populus severitate, luxuria[4]) abundat, quod quam insanum sit, explicat fabula de Atheniensibus enarrata, qui Apollinis oraculum falso interpretati auriculis pue-

1) Eadem apud Dionis imitatorem Themistium invenitur or. V p. 75 Dind. (63 b) et or. XXIV 302 b.

2) cf. v. Arnim Dio v. Pr. p. 438.

3) cf. supra n. 24.

4) mimos saltatores aliosque, quibus se ipsos opponunt, etiam alibi afferunt sophistae philosophique velut infra Dio ipse n. 29 et Apuleius n. 40. 45. 49.

rorum appendiculas auro factas adiunxerunt. Id quoque de Atheniensibus addit, quod se vituperari sinebant[1]) (§ 1—8); Alexandrinorum autem vitia vel ea de causa orta sunt, quod non inveniebantur qui recte eos docerent (§ 8—12), qua in parte philosophos Cynicos et rhetores sophistasve ut inutiles populi praeceptores vehementer castigat[2]) (§ 9 ss.). Quibus contrarius qualis ipse veniat quidque efficere velit, explanat § 12—25. Sese a deo missum esse commemorat[3]), ut simul reverentiam erga sua verba augeat, et exemplo puerorum, qui ludendo Apis dei oraculum profundunt, se ipsum suamque ludicram dicendi rationem adumbrat.[4]) Eandem sententiam § 21 iterat, ubi Mercurium commemorat, qui cum ad Calypso venisset, ad se excusandum 'Iuppiter misit me' dixit. Homero alteram quoque comparationem, qua populi multitudo cum mari ventis excitato componitur deprompsit versibus homericis ipsis allatis (§ 22 ss.), ut etiam aliis multis huius praefationis locis versus adhibet (cf. § 4. 6. 16. 21). Neque mirum Dionem, qui vitia populi sanare vult, saepius eorum, qui corporis vitiis medeantur, exemplis uti velut § 16. 17. 20. Quae sequuntur partes (§ 25—33)[5]), cum argumentum

1) cf. Tars. I 10. 11 supra n. 24.

2) Dionis sententiae in adversarios dictae, quibus odium et contemptum sophistarum significantur, exstant collectae a L. Cresollio Theatrum p. 89.

3) cf. Lucianum supra n. 1. Huius dicti exemplum Socratis daemonium fuisse arbitratur R. Hirzel, Dialog II 85,3. Fortasse autem se ab imperatore, quippe qui deus coleretur, missum esse orator significat.

4) cf. de hac re G. Lumbroso sull' orazione di Dione Crisostomo πρὸς Ἀλεξανδρεῖς, Festschr. zu O. Hirschfelds 60. Geburtst. Berlin 1903, qui p. 109 de hoc oraculo alios scriptorum locos addit.

5) v. Arnim Dio v. Pr. p. 438 etiam has paragraphos prolaliae attribuit.

totius orationis in iis significetur, mea quidem sententia non iam prolusioni adscribenda sunt, sed digressio est, qua orator prolaliae sententias variat simulque transitum ad sequentia sibi parat.

26. Alterius orationis Tarsicae (or. XXXIV ed. v. Arn. I p. 316) in initio Dio praefationem quandam habet, quae quamquam prolaliis, ut ex sententiarum ordine manifestum fiet, finitima tamen eo distat, quod brevior est, paragraphos enim 6 complet, et magis ad rem dicta, itaque de prooemiis veterum oratorum Atticorum aliquid commonet. Reprehendit autem hac prolusione, quod privati homines et imprimis divites in medium ad suadendum prodeant sententiamque dicant potius quam ii, qui rerum periti sint; quae sententia illustratur citharistarum et tibicinum exemplo. Quibus se ipsum opponit non iucundum cum Cynicus[1]) sit, tamen hominibus utilem, et sibi auctoritatem avium[2]) ex improviso conspectarum flagitat, quod exemplum, postquam de se quaedam narravit, fabula viri Phrygii[3]) auget. In fine precatur, si garrire videatur, ut clamore non lapidibus oratorem expellant.

Inspicienti apparet *τόπους* eosdem esse, quos aliis in praefationibus suasoriarum adhibet; ubi Cynicorum mentionem facit, acrem huius sectae philo-

---

1) E quibus verbis concludam vestimento Cynicorum indutum eum locutum esse; num autem recte W. Schmid, P. W. V 853, 17 coniecerit Dionem interdum nudum ut a Deo impulsum verba fecisse dubito.

2) cf. supra n. 25. A nemine igitur iussus adiit urbem, ut suaderet.

3) Fabulas Phrygias inter progymnasmata receptas fuisse docent Theon, Rh. Gr. II 73 Sp. et Nicolaus, Rh. Gr. III 452 Sp.: *Φρυγίους . . . . τοὺς ἐκ μόνων τῶν ἀλόγων ζώων*; cf. supra n. 4 de fabulis Libycis.

sophicae vituperationem, quia multa nefarie impieque committunt, addit.

27. Prolaliis integram[1]) orationem (XXXV ed. v. Arn. I p. 331) ἐν Κελαιναῖς τῆς Φρυγίας habitam attribuendam puto. Nam si eam orationem perfectam et absolutam esse sumeremus, neque ambitu neque sententiis satisfaceret legibus oratoriis. Paulo enim ambitum 8 paginarum Teubn. excedit et res tangit multas pulchra varietate. Primis ipsis verbis: οὐκ ἐπιδειξόμενος ὑμῖν ὦ ἄνδρες παρῆλθον significat orator quam habiturus sit orationem non fore ἐπίδειξιν sophisticam; sed quae in sermone nobis tradito exstant, ipsi generi demonstrativo attribui debent. Primum enim ut exspectatio auditorum minuatur narrat (§ 1—6), quis sit et unde venerit, ubi ut semper suam modestiam[2]) et sapientissimorum[3]) superbiam inutilem non praeterit exemplis[4]) suo more ad sententiam firmandam usus, quam tum largius et impetu in sophistas et defensione[5]) habitus sui Cynici additis

1) v. Arnim, Dio v. Pr. p. 438 tantum § 1—10 praefationi adscribit.

2) pace habitus Cynici; crinem promissum barbamque ut philosophorum insignia ab Aristophane primo nub. 835 ss. mordentur, imperii autem temporibus saepissime ridentur, ab Hor. sat. II 3, 35, Seneca ep. I 5, 1, Luciano passim (cf. K. Funk, Philol. Suppl. X p. 596) ecclesiae patribus cf. L. Cresollium, Theatrum p. 244; v. etiam R. Helm, Luc. u. Menipp p. 313. 315, J. Geffcken, Kynika p. 53.

3) sic eum eos, qui vere philosophi non sint, ironice dicere elucet; cf. supra p. 46, 5.

4) Quibus pertractatis μία μὲν οὖν inquit αὕτη πρόφασις τοῦ προελθεῖν, similiter Ael. Aristides or. XXXIII 2 Keil (51 Dind.). Ad vocem πρόφασις conferas similes supra p. 6.

5) v. Arnim hasce paragraphos vix recte uncis seclusit; de coma iam antea aliquid dixit (§ 2). Nunc ubi § 10 τρεῖς ἢ τέτταρες κομῆτας et παιδάρια κομῶντα commemoravit hac de re, quae ei cordi est, fusius loquitur.

explanat. Posteris paragraphis (13—18) benevolentiam sibi captat urbis laudibus, qua in parte, qui *οὐκ ἐπιδειξόμενος* venit, similes observat leges ac quas Menander *περὶ ἐπιδεικτικῶν* Rh. Gr. III 344 ss. Sp. tradit. Paucos esse Celaenarum incolis feliciores. Cumque vulgo felicitas otio et auro abundare putetur, utriusque abundantiae[1]) exempla explicat. Illius affert quendam Indorum populum, ergo remotam[2]) gentem, cuius praeclaram *ἔκφρασιν*[3]) coloribus tamquam aureae aetatis[4]) dat (§ 18—23). Addit (§ 21) ut *θαυμαστόν*, quod hi homines his omnibus voluntatibus spretis sapientiam solam etiam maximis tormentis appetunt. Deinde alterum felicis populi exemplum annectit (§ 23. 24), eorum qui *πολυχρυσώτατοι* sunt, quia aurum a formicis collectum sibi auferunt; et has et terram et eripiendi modum breviter exponit. Deinde ad contrarium se vertit, atque quaerit urbem minus Celaenis felicem eligitque, quam conferat, eam quae aliis testimoniis[5]) illa aetate praeclare florebat Byzan-

1) Quod v. Arnim, Dio v. Pr. p. 448 dicit gentium Celaenensibus feliciorum nomina nonnulla periisse, vix causis confirmari potest.

2) cf. supra n. 3. 4.

3) quo in exemplo conscribendo Plat. Phaedo 109 B ss. ei in memoria versatur; cf. R. Hirzel, Dial. II 113. Cynicorum autem erat usus suadere, ut homines ad aureae aetatis simplicitatem et integritatem redirent, quibus orationibus aptissimae sunt tales *ἐκφράσεις*; cf. E. Weber, Leipz. St. X p. 117. 127. Quid veteres et Stoici et Cynici de aetate aurea dixerint, nuper congessit K. Praechter, Hierokles der Stoiker p. 40, 1.

4) Praeter alias res aquaeductus balneaque (§ 20) commemorat, quod ad suam aetatem spectat, cum saeculo II. ineunte multis in urbibus Graecis aquaria aedificata sint velut Athenis et Corinthi ab Hadriano ipso, v. Daremb.-Saglio, Dict. des ant. gr. et rom. I s. v. aquaeductus p. 336 ss.

5) cf. Herodianum III 1, 5. Maris fertilitatem ut divitiarum fontem Byzantii laudant Polyb. IV 43 ss., Strabo VII 320,

tium, cuius incolas vituperat, quia terram neglegebant colendam. Nam Dio Cynicus virtutem ante omnes magni aestimabat eam,[1]) quae aliis et urbibus et hominibus prodesset. Neque vero solum his sententiis sed etiam tota forma haec oratio, cuius praecipue alteram partem sophisticam et demonstrativam esse indicavi, a dicendi ratione Cynicorum non aliena est. Nam et satira Menippea est (§ 7. 13) et comparationes inveniuntur, quas philosophi Cynici adamabant, velut res quae in triviis[2]) conspiciuntur (§ 5. 7) vel domi accidunt (§ 8) vel ad bestiarum naturam pertinent (§ 3. 4. 12). Praeterea Bacchus eiusque secta[3]) (§ 8), Achilles de armis suis gloriatus[4]) (§ 6), Bacis Sibyllaque (§ 2) adduntur. Cum autem haec sola *ἐπίδειξις* unica causa, cur in publicum processerit, esse non possit, restat ut sumamus Dionem, quippe quem Cynicum fuisse e tota oratiuncula eluceat, oratione ipsa nobis non tradita more Cynicorum auditores admonuisse et docuisse.. Ne autem putemus hanc esse orationem adhortativam ipsam in fine mutilatam, obstet quod in ultima parte exempla inveniuntur quae Dio praeludii in fine afferre solet, ut supra n. 21 (or. LVII) regis Persarum nuntios, n. 22 (or. XLII) figlina Tenedea, n. 26 (or. XXXIV) fabulam Phrygiam. Atque si consideramus eum altera prolusionis parte de rebus gentium secundis fabulas narrare, movemur ut orationis ipsius argumentum

Plin. n. h. IX 50 ss. (v. J. Miller, P. W. III s. v. Byzantion 1139. 1142), quod Dio etiam or. XXXIII § 24 commemorat, qui tamen propter pisces eos non arbitratur felices.

1) cf. E. Weber, Leipz. Stud. X p. 126.

2) cf. Horatii sat. I 4, 133 pueros stoicum per vias persequentes.

3) cf. supra Lucianum n. 1.

4) eandem sententiam invenies apud Plin. ep. VI 33, 1, Philostr. Vitae soph. I 25, 5, Himer. or. XIII 9.

περὶ ἀληθοῦς τύχης[1]) fuisse opinemur. Quod si recte enucleatum est, quoniam totius argumentum parte prolusionis indicatur, prolaliam prooemio propinquam, ut supra n. 26, habemus.[2])

28. Cynicum colorem etiam oratio XIII[3]) (ed. v. Arn. I p. 179), cui *ἐν Ἀθήναις περὶ φυγῆς* inscriptum est, prae se fert. Ut orator § 14 explanat, recitaturus est sermonem, quem saepissime[4]) Socrates ille[5]) habuit. Cui praemittit prolusionem de se dictam cuius in principio, ex quo sumptus est titulus *περὶ φυγῆς*, narrat se cum propter amicitiam viri nobilis capitis damnati exsilio multatus esset, diligenter consideravisse, utrum malum an bonum esset exsilium (§ 1—8). Illud dicere poetarum velut Homeri Euripidisque[6]) carmina, quorum versus laudat, hoc ut

1) exstant *περὶ τύχης* fragmenta reliquiaeque orationum LXIII. LXIX. LXV, quarum quidem primam alteramque A. Emperius, Observationes ad Dionem Chrys. Leipz. 1830 p. 59 et v. Arnim, Dio v. Pr. p. 158 Dioni denegant.

2) Rhodiaca quoque oratione (or. XXXI ed. v. Arnim I p. 219) ad civitatem se vertit adhortationibus, prooemium autem luminibus rhetoricis caret. Quam orationem priore vitae tempore conceptam Dionem non dixisse sed scripsisse tantum v. Arnim arbitratur (Dio v. Pr. p. 210), et cum tota non dicta sit, initium prolaliam esse non oportet. Causis autem infirmis nisus J. Burckhardt, Ueber den Wert des Dio Chrys. fuer die Kenntnis s. Zeit. N. Schweiz. Mus. IV. Bern 1864 p. 118 utrum or. XXXI et XXXV (n. 27) re vera dictae sint an scribendo tantum publici iuris factae, in dubium revocat, or. XXXII (n. 25) et XXXIII (n. 24) dictas esse omnino negat. Contra quem hae ipsae prolusiones pugnant; praeter Rhodiacam ceteras esse dictas etiam v. Arnim, Dio v. Pr. p. 435 recte sumit.

3) cf. v. Arnim, Dio v. Pr. p. 239. 251. 256.

4) cf. supra n. 21.

5) cf. § 14 *λεγόμενον ὑπό τινος Σωκράτους* fortasse ut Athenis ironice dictum; aliter res se habet or. III in principio (cf. infra n. 33).

6) hic a Cynicis saepe allatus est; cf. E. Weber, Leipz. St. X p. 100. 112.

Apollinis sententiam oraculo quodam proferri. Se quoque ipsum deo suadente[1]) per multas regiones migrantem, homines docuisse sermone Socratico iisque profuisse. Ita momento utilitatis significato sermonem ad caput orationis adducit similiter ac supra (n. 26. 27). Forma autem prolaliis est simillima: et versus inveniuntur (§ 5. 6) et comparationes Scytharum gentis barbarae (§ 1), Croesi[2]) (§ 6), Ulixis[3]) (§ 4. 10), semel medicinae mentionem facit (§ 15): qui philosophi se praedicant, eos irridet (§ 10). Cynicis rebus referta[4]) est haec oratiuncula; attamen, quae de exsilio deliberat, ea a Teletis et Plutarchi de exsilio scriptis diversa sunt et e fonte Cynico vix emanavisse videntur (cf. J. Wegehaupt, De Dione Chrysostomo p. 56).

29. Oratione (XIX ed. v. Arn. II p. 257) titulo *περὶ τῆς αὑτοῦ φιληκοΐας* instructa narrat Dio se exulem quondam Cyzici versatum una cum aliis ingressum esse, ut citharoedum inter omnes celeberrimum audiret; se enim esse cupidissimum audiendi et sophistas et rhetores, quorum eloquentiam ironice cavillatur, et citharoedum et histrionem.[5]) Quae secuta sint, nescimus, nam deperdita sunt: in iis autem quae exstant, comparationes non desiderantur velut citharoedi cum Arione[6]) (§ 2), vel tragoediarum cum

1) qui Socrati olim et Xenophonti suasit Dionis exemplaribus, cf. J. Wegehaupt, diss. p. 57; R. Hirzel, Dialog II 88.

2) quod exemplum Cynici adamabant; cf. E. Weber l. l. p. 93; R. Helm Luc. u. Menipp in indice s. v. Kroesus.

3) Cynicis ut exemplum erat; cf. E. Weber l. l. p. 226.

4) cf. § 11 *πᾶσι διαμάχεσθαι* quod verbum videlicet ab arte militari depromptum cynice dictum est v. E. Weber, Leipz. St. X p. 178.

5) Paululum ironice etiam alii rhetores tales artifices commemorant, v. n. 25.

6) cf. infra n. 37.

hominum corporibus; quo perspicuum fit, id quod nobis restat prolaliae frustulum esse. Ad quam supplendam multa deesse[1]) ut sumamus nihil nos cogit; et eodem fere ambitu sunt prolusiones no. 22. 26. 28 et aeque abrupte finiuntur.

30. Etiam dissertatiuncula *περὶ τοῦ σχήματος* (or. LXXII ed. v. Arn. II p. 184) a maiore oratione divulsa est, quam si perpendimus, et ambitu sex fere paginarum et sententiis et tota forma prolaliis simillimam invenimus. Queritur enim Dio in exordio (§ 1. 2) de hominibus qui sinant agricolas nautasque habitu et vestimento proprio incedere, cum Cynicis idem non concedant, verum ubi eos videant, conveniant maledicant verberent. Deinde (§ 3) verbis *ὃ δὲ ἔτι τούτου παραδοξότερον*[2]) praemissis nova exempla illius hominum inconstantiae· addit barbarorum virorum (§ 3. 4) et statuarum dispositarum (§ 5. 6), in quibus tractandis aeque non sibi constent homines, atque causas, cur ita in philosophos se gerant affert (§ 7—13). Tum addit fabulam avium et ululae (§ 13—15), quam tamen (§ 16) ita vertit, ut doceat ululas, quae nunc sint, distare a priscis, quia hae nihil sciant, neque secus recentiores Cynicos a Socrate et Diogene differre. Sic philosophos increpat simulque suam ipsius, quippe quem ut Cynicum in medium prodiisse ex initio sermonis[3]) sumere nobis liceat, modestiam hisce verbis ostendit. Praeterea gentes remotas nonnullas nominat velut Getas, Persas, Nasamones, alios (§ 3. 5) additque fabellam exemplaque, quae aut apud rerum scriptores inveni-

---

1) 'In fine multa deesse vidit Selden' v. Arn. in app. crit. adnotat.

2) cf. supra n. 1. 2. 4. 7.

3) cf. etiam finem (§ 16) *ἡμῶν ἕκαστος τὴν μὲν στολὴν ἔχει τὴν Σωκράτους καὶ Διογένους.*

untur (septem sapientes § 12, Diogenes, Socrates § 11. 16), aut in vita hominum cotidiana animadverti possunt velut (§ 10) puerorum et magistri.[1]) Revocatur, si hanc lucubratiunculam examinamus, orationis Olympicae (supra n. 23) prolalia in mentem, qua Dio ut hic de argumento simili in principio posito disserit eadem fabula adhibita (§ 1—17), neque ullo verbo mentionem ipsius quae insequebatur orationis facit. Cum vero ad finem huius oratiunculae priores philosophos solos sapientes et utiles dicat sicut or. XIII in praeludio, fortasse huic mentioni *προπαρασκευήν* sermonis de Diogene vel Socrate vel de utroque habiti inesse iudicare debemus.

31. Vicina est prolaliis narratiuncula, ipsa quoque in exordio commentationis posita, quae Philoctetes inscribitur (or. LII ed. v. Arn. II p. 104 § 1). Narrat enim quid illo die, quo has Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoedias legit, a prima luce usque ad id temporis momentum, quo legere coepit, fecerit. Hanc orationis partem auditoribus quibus auctor ipse iam cordi fuit opus ipsius commendare v. Arnim, Dio v. Pr. docet p. 161. Eadem autem narratiuncula Dio id quoque explanat, quomodo vitam suam sapiens simpliciter et secundum naturam ad valetudinem augendam[2]) agat nec non ita rem utilem iis qui audiunt praebet.

32. Etiam principium primae orationis a Dione ad Traianum de regno habitae (or. I ed. v. Arn. I p. 1) prolalia est (§ 1—11). Incipit nullo prooemio praemisso a narratione quadam haud vulgari de

---

1) Exemplum simile ab Antisthene Cynicorum principe allatum esse Plutarchus narrat Lycurgi vita 30. cf. etiam Dionem or. XLVI 14 et Themistium *περὶ ἀρετῆς* Rh. Mus. 27 p. 453, 35.

2) Corvinum de valetudine praefatum esse Tacitus narrat supra p. 38, 1; cf. infra n. 41.

Alexandro, Macedonum rege, quem Timotheus[1]) tibicen sono tibiarum adeo excitabat, ut magna facinora facturus arma arripuerit (§ 1—4); sequitur conclusio (§ 4. 5), qua se tibicini, sua verba tibiae comparat et Traianum Alexandro Magno, imperatori blanditurus; magis autem quam ars musica sapientium oratio valet (§ 6—9). Tum (§ 9) quae verba imperatore digna inveniantur, quaerit, denique Suadelam[2]) et Apollinem et Musas invocat[3]), ut sibi adsint. Quod cum Christianorum oratorum more dei ante orationem invocandi C. Martha, Les moralistes sous l'empire Romain p. 245 et E. Weber l. l. p. 230 num recte comparaverint, J. Wegehaupt l. l. p. 48 dubitat, qui non morem pervulgatum et a Christianis quoque receptum, sed Homeri exemplum Dionem imitari putat, praesertim cum Dio Homero imitando perquam studuerit (cf. P. Hagen, Quaestiones Dioneae. Diss. Kiliae 1887 p. 42 ss.). Cum autem ille oratorum usus saepissime inveniatur[4]) et inde quoque ad Homerum

1) cf. Sopatri *ὑπομνήματα εἰς τὴν Ἑρμογένους τέχνην* Rh. Gr. V 21, 19 Walz et quae de Timotheo affert Wernsdorf ad Himer. Ecl. XIII p. 209; praeterea Dionis or. XXXII 61; Athen. XII p. 538 F, XIII 565 A; Volkmann ad Plutarchi de musica librum p. 71, 43; illius narrationis fons certus adhuc non indicatus est; cf. J. Wegehaupt, De Dione Chrysostomo p. 46.

2) Similiter Himerius or. IV 8 et Choricius ed. Boiss. p. 77 *τοὺς Λόγους* invocant.

3) W. Schmid P.W. V s. v. Dion 864, 26 annotat precationes tantum inveniri in orationibus, quas Dio iuvenis habuerit, velut or. XXXVIII et XXXIX in fine, quam sententiam hic locus refutat.

4) cf. Valer. Lician. supra n. 19; Maxim. Tyr. qui diss. XIX 1 Hob. ut noster invocat *Ἑρμῆν τὸν λόγιον καὶ Πειθὼ καὶ Χάριτας καὶ τὸν Ἔρωτα αὐτόν*; Lucian. supra n. 2. 9; Ael. Aristid. in initiis orationum in deos habitarum; Themistium or. XVIII; Choricium Rh. Mus. 37 p. 483. Etiam a didacticis

reducatur, hic poeta etiam huius Dioneae rationis fons extremus est. Utrum autem ipse poeta an mos vulgaris Dionem magis commoverint, ut et ipse precationibus uteretur, certe non diiudicari posse puto. Sumam autem primum a more, ad quem confirmandum deinde exempla praeclara accedunt, homines ut talia faciant, permoveri.

Non minus ad prolusiones quadrat quod et versus inspersus est (§ 8) et praeter Alexandrum Thimotheumque exemplum affertur mali regis, Sardanapalli (§ 3), quod saepissime Dio adhibet (cf. P. W. V 868, edit. Arnimianae indicem 2 s. v. Sardanapallus[1]) et res quae in triviis conspiciuntur (§ 9).

33. Alteram quoque orationem coram imperatore de regno dictam (or. III ed. v. Arn. 1 3) abrupte per fabellam incipit[2]), quia narrat (§ 1. 2) Socratem, quod regem Persarum non novisset, eum felicem dicere recusavisse, et ad se sensum sermonis convertit, qui iustam causam habeat Traiani praedicandi quippe quem penitus cognoverit, atque statim ad

---

et historicis scriptoribus et inprimis ab epicis poetis preces saepe adhibentur v. G. Engel, De antiqu. epicorum didactic. hist. prooemiis. Diss. Marb. 1910 p. 7; cf. praeterea supra n. 2.

1) cf. Maxim. Tyr. III 9, X 9, XXXV 1; Sardanapallum iam Graecis V. a. Chr. n. s. exemplar luxuriae fuisse docet E. Maass, Orpheus, Muench. 1895 p. 214.

2) quod primus vidit W. Schmid in ann. Bursiani 129, 1 p. 230. Interest hoc initium inspicere *Σωκράτης Ἀθήνησιν πρεσβύτης ἀνὴρ καὶ πένης ὃν καὶ σὺ γιγνώσκεις ἀκοῇ πρὸ πολλῶν ἐτῶν γενόμενον.* Quae verba cum ironiam ut supra n. 28 non adhibeant docent imperatorem inter doctissimos viros, quibus per se quaelibet de Socrate patent, ab oratore non numerari (cf. W. Schmid l. l.). Quod alibi Dio Epaminondam auditoribus ignotum esse putat (n. 35) vel Gregorius Nyssenus idem de Abraham patriarcha arbitratur (v. J. Bauer, Die Trostr. des Gr. v. Nyssa p. 69), quia permulti neque omnes docti audiebant, minus mirum est.

laudationem eius se vertit. Se igitur ut saepe (cf. supra n. 21. 23) cum Socrate comparat.

34. Hae breviores prolaliae de Socrate dissertationis (or. LIV ed. v. Arn. II p. 113) admonent. De Hippia Gorgia ceterisque sophistis prioribus abrupte dicere incipit, quos quia pecuniam pro doctrina accipiebant, vituperat[1]) orationesque eorum parvi ducit; quo tecte suae aetatis sophistas eum castigare elucet. Opponit iis Socratem (§ 2) et de eo eiusque uxore nonnulla dicit; cum illorum sophistarum clarorum orationes perierint, Socratis verba esse servata ab eius amicis atque etiam nunc audiri posse. Ita facillime ad quendam Socratis sermonem Dionem transisse sicut supra n. 28. 30 opinari nobis licet.

35. Prolaliarum rationem Dio adamabat adeo, ut etiam orationi iudiciariae[2]) eandem praemitteret, quod oratione *πολιτικὸς ἐν τῇ πατρίδι* (XLIII ed. v. Arn. II p. 63) demonstratur ubi se defendit penes viros Prusaenses. Ante defensionem autem prolusionem dixit, quam incipit nullo prooemio praetexto a comparatione Lydi cuiusdam per quam ad sua erga oppidum merita alludit et suos patriaeque adversarios esse eosdem demonstrat (§ 1. 2). Tum ad fabellam enarrandam se vertit et urbanis blanditiis (§ 3) ut animos oratori dedant, movet; affert deinde (§ 4—6) exemplum Epaminondae[3]) quem simili atque orator

---

1) cf. supra n. 23 (or. XII 9).

2) In orationibus ipsis talia praeferre iamdudum usus erat ab Aristophane Vesp. 563 irrisione, a Quintiliano IV 3, 1 reprehensione multatus. Huius autem aetate etiam in praefationes loci similes inlati sunt, v. Tacitum de Corvino dial. 20 (supra p. 38, 1).

3) qui ignotus videlicet Prusaensibus est, v. *ἦν τις ἄνθρωπος ἐν Θήβαις Ἐπαμεινώνδας λεγόμενος* cf. supra p. 55, 5; 60, 2. Cur autem Graecis veteribus praecipue exemplis utatur § 3 (cf. or. L 2) explanat.

ipse iniuria a suis affectum secum comparat (§ 6—8). Tum alterum exemplum Socratis adiungit (§ 8—11) et suam accusationem, qua illam Socratis ad verbum imitatur, in fine praefationis dicit. Quae cum a primo orationis ipsius rem, Dionis defensionem, praeparet, prooemio proprio propinqua est; tamen eadem si in universum spectas, rebus, comparationibus, fabellis, versibus (§ 8) a prolaliarum genere non longe distat.

36. Etiam oratione *Ἀγαμέμνων ἢ περὶ βασιλείας* (LVI ed. v. Arn. II p. 121) si verbis in fine (§ 16) dictis fidem habemus: *περὶ μὲν δὴ τούτων αὐτοῦ τὸν λόγον ἐάσομεν χθὲς ἱκανῶς εἰρημένον, ἐπ' ἄλλον δέ τινα ἴωμεν*, prolusionibus attribuenda est et a Guilelmo Schmid P. W. V s. v. Dion 870, 68 re vera iis attribuitur. Accedit quod aliis quoque rebus cum prolaliis consentit. Ab interrogatione enim incipit, qua argumentum huius oratiunculae ponitur, atque exempla ex scriptis historicorum hausta et e poetarum carminibus deprompta (§ 1. 4. 6. 8) et versus Homerici (§ 2. 8. 13) huic lucubratiunculae insunt. Attamen a ceteris praelocutionibus longe distat; dialogus enim est, quo Agamemnone Nestoreque exemplis usi de regibus vel ducibus deque eorum consultoribus socratice disputant duo viri, vir sapiens eiusque ex auditoribus unus, qui iam die antecedenti illum audivit.

Dionem praefationis loco oratiunculam tam a ceteris alienam h. e. nudum dialogum nullo prologo vel epilogo ornatum in auditorio recitasse mihi non videtur. Si Lucianus supra (n. 7. 8. 9) dialogos parvos prolaliis implexit atque etiam unum, quo ipse et auditor colloquuntur (n. 7), his ipsis sermonibus tamquam artificiis rhetoricis oratiunculas suas ornavit. At hic dialogus merus est vere dramaticus, ubi oratio

unius alteriusque, ubi interrogatio responsioque ipsae se excipiunt. Qui vero finem inspicit, ubi pro hesterno argumento, quod etiam in dialogo deliberatum est, novum proponitur et refutatur, eum non fugit, similibus fictionibus in prooemiis operum non tam dictorum quam scriptorum usum esse Platonem primum, quem alibi quoque Dio imitatur velut in prooemio Libyci mythi (or. V ed. v. Arn. I p. 79) e Phaedro 229 C D deprompto atque amplificato (cf. P. Hagen l. l. p. 7, 3; J. Wegehaupt l. l. p. 26; R. Hirzel, Dial. II 133). Hoc autem dialogo confecto Dionem de regno disseruisse in propatulo est, ut in Charidemo or. XXX (v. Arn. II p. 295) post prooemium, qui et ipse dialogus[1]) est, sermo Charidemi Dionis discipuli legitur.[2]) Quae autem v. Arnim, Dio v. Pr. p. 283 de hoc solo Charidemo, R. Hirzel, Dial. II p. 117 de omnibus dialogis Dioneis docent, eos lectoribus tantum, non auditoribus destinatos fuisse nunquam recitatos, quod ad hunc dialogum attinet, propterea probare non possum, quod etsi generi literarum scriptarum attribuendus est, tamen quin quondam recitatus sit, nihil obstat. Et re vera Apuleius per dialogum a prolusione ad orationem ipsam audientes traducit (v. infra n. 40).

Dionis quoque prolaliae, quas iam perlustravimus, et disiunctae exstant ab orationibus, quibus quondam praemissae erant, et cum orationibus ipsis coniunctae reperiuntur. Ex illis (n. 21. 22. 27. 29. 30. 34) orationem sequentem manifesto indicat n. 21, ceterae eam leviter significant; praeter illas huius generis una legitur (n. 35) ante orationem iudiciariam habita. Alterius generis reliqua praeludia sunt, quae aut ad

1) cf. v. Arnim, Dio v. Pr. p. 283.

2) similiter conscriptae sunt orationes XXV. XXVI. LV. LXXIV.

argumentum orationis non respiciunt (n. 23. 25) aut uno sententiarum itinere via magis minusve recta eo ducunt (n. 24. 26. 28. 31. 32. 33). Quod ad artem et orationis ornandae rationem attinet, singulae prolaliae magnopere variantur: praeter simplices enim brevesque velut n. 31, quibus Dio proximus est oratoribus Romanis (cf. n. 20), alias paulo ornatiores velut n. 22 habemus, quae et ipsae ab illorum more (cf. n. 19) haud ita longe distant. Praeterea autem tam praeclaris pigmentis illustratae leguntur velut n. 23. 24, ut inter illustrissima artis sophisticae specimina numerari possint. Usurpat autem Dio, ubi exculta arte utitur, et exempla historica et mythica, laudat poetas, de se res affert; saepius quam Lucianus impetus in adversarios facit, saepius comparationes cum vita cotidiana, cumque hominum feriis[1]) factae nec non fabulae ab Aesopo enarratae et praecipue exempla e medicorum arte deprompta inveniuntur. Cum tales res Cynici adamaverint ut suo saepe loco dixi, earum doctrinam harum rerum e parte fontem putare licet, etiamsi omnes inde emanasse demonstrare non posumus, immo etiam ex arte sophistica profluxerunt, praesertim cum Philostratus *τὰς τῶν λόγων εἰκόνας* dicat *σοφιστικωτάτας*[2]). Quam Dionis artem argumentis Cynicam iudicem, forma sophisticam.[3]) Sententiarum conexus liber attamen scite ex-

---

1) Quas non solum a Cynicis sed a declamatoribus quoque et poetis adhiberi locis allatis recte monet P. Valette L'apologie d'Apulée, Paris 1908, p. 155.

2) cf. Philostr. Vitae soph. I 7, 2, quas imagines raro usurpatas esse haud recte dicit W. Christ, Gr. Lit.-Gesch.[4] p. 747.

3) cf. Synes. (Dionis op. II p. 318 v. Arn. 18 R.) *οὗτος δὲ ὁ Δίων ἤκμασε μάλιστα ἐν τῷ κατὰ τῶν φιλοσόφων . . . ἡρμόσατο πανηγυρικώτερον ἀνδρὸς ἀφελοῦς καὶ μέντοι γε εἰς τὴν τοιαύτην δἰέαν αὐτὸς αὑτοῦ ταύτῃ κράτιστος ἔδοξεν.* Philostr. Vita Apollon.

cogitatus, quem commode v. Arnim, Herm. 26 p. 318 describit, dum dicit Dionis esse morem sententias antea cogitando conceptas atque affabre consertas in auditorio quasi ex tempore dicere[1]). Maiore autem quam Lucianus[2]) licentia usus Dio amabat *τὸ πλανᾶσθαι ἐν λόγοις*, ut ipse dicit, h. e. in itinere consistere et devertere, deinde ad argumentum redire et progredi[3]), ut tamquam a deo sibi iniecta esse verba, quod saepius contendit, etiam oratione ipsa confirmaret.[4]) Quo sermone tam iucundo lepidoque auditores ab oratore facile captari vix quisquam miratur. Quamvis autem hae praelocutiones Dioneae varietate sententiarum delectent, ambitu maiores videntur, quare eas Photio auctore bibl. cod. 209 (p. 165 C Bek.) viri docti nostri aevi velut A. Westermann, Gesch. d. Beredsamkeit in Griechenland u. Rom, Leipz. 1833 I p. 190; W. Christ, Gr. Literaturg.[4] p. 747 reprehendunt. Sed si pertica metimur, duae tantum maximae (n. 25. 27) Lucianeis maximis ampliores sunt tertia parte; ceterae modum vel non transgrediuntur vel vix assequuntur. Omnes autem, si n. 31 omittimus,[5]) posterae Dionis aetati attribuendas esse consideranti patet, qua ut philosophus Cynicus *τὴν*

V 37, 2 (ὁ Δίων) ἐπίχαρίς τε γὰρ τὰς διαλέξεις ἐδόκει καὶ τὰς ἔριδας παρῃτεῖτο, ὥραν τ' ἐπέφαινε τοῖς λόγοις, οἷα τοῦ πρὸς τοῖς ἱεροῖς ἀτμοῦ ἔκπνει.

1) Philostr. Vita Apollon. V 37, 2 προσῆν δ' αὐτῷ καὶ τὸ ἀποσχεδιάζειν ἄριστ' ἀνθρώπων.

2) cf. supra p. 34 ss.

3) cf. v. Arnim, Dio v. Pr. p. 439.

4) cf. supra n. 25. 26 et W. Schmid in ann. Bursiani 129 p. 230.

5) Quam paucis viris arte literaria imbutis, cum sophista erat (cf. v. Arn., Dio v. Pr. p. 161), habuit; ergo hanc Plinianae simili occasione data habitae simillimam esse (cf. supra p. 40) non mirum est.

διατριβήν[1]) colebat. Itaque semper in ipsa oratione de quaestione aliqua philosophica agit, ut homines doceat admoneatque (n. 27. 28. 31. 32. 33), sive consilio ad bonum perficiendum eos impulit (n. 24. 25. 26) sive praedicando iis dei naturam demonstrat (n. 23). Hae sunt causae cur graviores Dionis prolusiones quam Lucianeae sint. Raro ecphrases velut pulcherrimam pavonis n. 23 implectit, quam tamen non tam delectandi causa inserit quam ut dicendi artem sibi non ignotam esse demonstret. Argumentum, de quo disserturus est, semper fere manifesto indicat (cf. n. 22. 23. 24. 25. 26), plurimaeque lepida ironia et hilaritate tinctae sunt; nam illud 'ridentem dicere verum' (Hor. sat. I 1, 25) Cynicis cuiusvis aevi cordi erat.

37. Quae Dionis inter opera legitur oratio Corinthiaca (or. XXXVII ed. v. Arn. II 20) viri docti[2]) Favorino Arelatensi, Dionis discipulo,[3]) adscribunt. Habet autem orationem quasi defendat statuam, quam oratori exstructam Corinthii postea removerant, cui defensioni prooemium praemittit (§ 1—23) prolaliae multis rebus simile; exordium de se facit et comparationem mythicam adiungit: putasse sese tam carum se esse Corinthiis quam Arionem Methymnaeum, quo commemorato notissimae delphini fabulae[4])

1) Atque hae prolusiones vetustiori *διατριβῆς* formae, quam P. Wendland, Philo und die kynisch-stoische Diatribe (P. Wendland u. O. Kern, Beitr. zur gr. Philosophie u. Relig.) Berlin 1895 p. 1 statuit, magis appropinquare videntur quam ipsae Dionis orationes quae a priorum Cynicorum velut Bionis diatribe magis distant, cf. P. Wendland, l. l. p. 2.

2) praecedente A. Emperio cf. W. Schmid P. W. VI 2082.

3) Quod Dio se cum Socrate saepe comparabat, eius discipulus imitatus est; v. Gellium noct. Att. IV 1, 19.

4) Multi scriptores et rhetores nobis eandem fabulam tradiderunt, quos collegit K. Lehrs, Populaere Aufs. aus dem

enarrandae occasionem sibi facit. Tum alii adduntur viri illius aetatis nobiles, qui de Corinthiis bene meriti sunt, Solo et Herodotus, quorum tamen neuter imaginis honorem consecutus est. Eo gratiorem illum sibi honorem fuisse, qui tamen somnii instar avolavisset, quam sententiam verbis Homeri explicat. — Comparationes, fabula, versus prolusionem sapiunt; etiam artifices eorumque opera[1]) ut exempla profert. Tamen cum recta via ipsam orationem ab initio petat, prooemium est. Quattuordecim paginarum totius orationis sex haec praefatio complet, quod iterum ad ambitum supra p. 27 s. statutum quadrat.

38. Illis quibus Dio florebat temporibus fere aequalis rhetor Latinus Fronto erat, cuius inter opera narratio de Arione cum parva statuae eius descriptione coniuncta legitur (ed. S. Naber, Leipz. 1867 p. 237; cf. G. Leopardi, Opere inedite publicate da G. Cugnoni. Halle 1878 I praef. X). Sed quoniam apud alios rhetores (v. p. 66 adn. 4) non solum in praefationibus sed etiam in scholasticis exercitiis tales narrationes exstant, dubium est, utrum Frontonis Arion ex illis exsectus et seiunctus sit an ex his. Tamen illi opinioni faveam, cum Apulei florida, de quibus infra agetur, fabulas praelocutionibus desti-

---

Altertum², Leipz. 1875 p. 385 ss. Etiam in progymnasmaticorum disciplina saepe tractata est, v. J. Jacobs, De progymnasmaticorum studiis mythographicis. Diss. Marp. 1899 p. 22. 68; cf. praeterea P. W. I 836 s. v. Arion 5, cuius narrationis fontem Herodotum I 23 ss. esse iamdudum intellectum est, quem ex rhetoribus Libanius διηγ. 24, Fronto n. 38, Gellius n. Att. XVI 19 accuratissime secuti sunt, cf. Jacobs l. l.

1) Statuas a Daedalo factas ipsas se movisse significat § 9 ss., cuius similem sententiam proferunt Choricius (R. Foerster, Der Praxiteles des Choricius. Jahrb. des d. arch. Instituts IX 1894 p. 170. 178 § 20) et Lucianus (Philopseud. 19) v. Th. W. Rein l. l. p. 19).

natas ab ipsa oratione seiunctas et ita servatas esse demonstrent.

39. Frontonis discipulus Aul. Gelius, quamquam ipse prolalias non praebet, tamen praeloquendi facit commemorationem n. Att. IX 15, 3: 'Introit adulescens et praefatur[1]) arrogantius et elatius quam aetatem eius decebat ac deinde iubet exponi controversias.'

Quid ille adulescens dixerit non comperimus sed suspicari possumus si in memoriam nobis revocamus id, quod Seneca et Plinius de declamationibus Romanis tradiderunt, quibus de se tantum orator verba facit (n. 14—20), et Dionis nonnullas orationes, quae idem docent, addimus (supra n. 31). Id ex fine intellegitur eum non excogitatae sed extemporali declamationi praefatum esse, cum perfecto praeludio eum orationis argumentum postulasse auctor tradat.

Iisdem imperatoribus, quibus Gellius vivebat, Apuleius Madaurensis rhetor Graecorum exempla secutus declamationum artem in praefationibus accurate imitatus est.[2]) In libro enim Floridorum[3]) quo quisquam flores ex eius orationibus decerptas collegit, eclogas nonnullas inesse praeludiis valde similes viri docti[4]) iamdudum cognoverant. Verum talis ecloga utrum prolalia sit necne, non semper certe diiudicari potest, praesertim cum, quae res prolusionem

---

1) cum hoc verbo conferas supra p. 38.

2) Orationis de deo Socratis prologum, qui fertur, ut in codicibus separatus est a Floridis, sic separatim postea considerabo.

3) De hoc titulo v. E. Rohde, Zu Apuleius, Rh. Mus. 40 p. 72 (Kl. Schrift. II 50) et R. Helm ed. praef. XIX. Addas Philostr. vitae soph. II 1, 14 *Ἡρώδου ..... ἐγχειρίδιά τε καὶ καίρια τὴν ἀρχαίαν πολυμάθειαν ἐν βραχεῖ ἀπηνθισμένα.*

4) cf. A. Goldbacher, De L. Apulei Madaurensis Floridorum origine. Diss. Leipz. 1867 p. 3 ss., ubi de sententiis priorum virorum doctorum refert.

ornant velut fabulae comparationes versus, quamquam praecipue in prolusionibus occurrunt, tamen etiam in orationibus ipsis generis demonstrativi non desiderentur. Itaque tantum, ubi plura inveniuntur indicia, verisimile vel certum quiddam statuere[1]) possumus. Quae autem nobis relicta sunt Florida,[2]) eorum tria genera statuo: aut minime, unde prompta sint, cognoscitur, quae omitto (in editionibus designata numeris II. VIII. X. XI. XXIII) aut quas fuisse prolalias pro certo habeo, aut de quibus dubium est. Ac primum ad illud genus me converto.

40. Flor. XVIII. Initio orator Carthaginienses laudat simulque se excusat et affabre, quae de se narrat notum esse sese civibus ab infante ita vertit, uti benevolentiam captent et spem auditorum minuant[3]). Novis blanditiis additis se relaturum esse promittit mercedem non illam, quam Protagoras sed quam Thales pepigit et accepit; Protagoras enim traditur pecuniam, quam ab Euathlo discipulo[4]) flagitabat, non accepisse, at Thales Milesius a Mandrolyto discipulo accepisse optimam, nempe gloriam inter homines, apud quos discipulus magistrum ut artis inventorem[5]) praedicabat. Eandem Carthaginiensibus mercedem soluturum se dicit orator, quorum alumnus sit quorumque deos colat. Quare iam hym-

---

1) Floridorum plurima prolaliis summatim adscribit E. Rohde, Roman² p. 333, 2.

2) nonnulla qua arte composita sint, scite examinavit P. Vallette l. l. p. 164.

3) Ad comparationem inter philosophum et mimos similesque artifices alludit ut Dio supra n. 25. 29.

4) cf. quae Rh. Gr. IV 180 Walzius ad scholia in Hermogenis στάσεις adnotavit. Saepius eadem narratur fabula de Corace eiusque discipulo Tisia cf. IV 13. V 6. 65. 215 Walz; v. etiam L. Spengel, Συναγ. τεχνῶν p. 26 ss.

5) v. infra n. 47.

num[1]) in Aesculapii honorem[2]) se, iamdudum huius dei cultorem, cantaturum esse. Ergo eodem modo ac supra (n. 23). Dio a praeludio ad orationem ipsam sibi transitum parat. Hymno autem, quem cantaturus est, dialogum vult praetexere, de cuius personis argumento sermone[3]) tenore paucis verbis audientes facit certiores. Quod in exordio huius dialogi condiscipulus Apulei quidam ea, quae Apuleius pridie in templo Aesculapii disseruerat, in quaestionem vocat, Dio similia in dialogo or. LVI (n. 36) fingit; ergo per dialogum sermonem ad ipsam orationem traducere interdum sophistarum usus videtur fuisse. Si autem huius praeludii ambitum examinamus, quattuor paginas editionis Teubnerianae complet.

41. Argumentum illud Favorini (n. 37) in men-

1) sophistae illius aevi magno studio poetas aemulati (v. Ael. Aristidem in oratione 8 (XLV Keil) εἰς Σέραπιν § 1 ss.) suis in deos orationibus nomen hymnorum attribuunt atque verbo ὑμνεῖν utuntur, ubi de iis aliquid proferunt, v. Ael. Arist. or. 17 (XLIV 2 Keil); Philostr. vitae soph. I 25, 3; Menand. περὶ τῶν ὕμνων leges conscripsit III p. 333 Speng. Similiter Themistius verbo ᾄδειν utitur (or. XXII 265 b; XXVIII 341 c) et Choricius orationes suas ᾄσματα nominat (ed. Boiss. p. 197. 200) et λυρικώτατος ille sophista Himerius μέλη (p. 55, 49. 70. 29. Duebn.). Ab Aelio Aristide etiam μονῳδία ἐπὶ Σμύρνῃ (or. XVIII Keil) et παλινῳδία ἐπὶ Σ. (or. XX Keil) factae sunt. Recentiorum E. Norden, Kunstpr. II 844 Platonis hymnos posteriorum exemplaria fuisse docet, quos qui Neoplatonici vocantur imitati sunt; cuius sectae Apuleius noster tamquam praecursor est (v. E. Zeller, Die Philos. der Griechen[3], Leipz. 1881 III 2, 209). Hos oratorum hymnos a paganis deprompserunt christiani ὁμιλίας componentes iudice Udalrico v. Wilamowitz, Asianism. u. Atticism., Herm 35 p. 21, 2.

2) cf. Ael. Arist. in eundem deum orationes XLVII—LII Keil (23—28 Dind.).

3) Graece et quidem ἀττικῶς atque latine idem eadem oratione declamabat. Hoc modo iam Senecae tempore rhetores admirationem audientium moverunt v. E. Norden, Kunstpr. I 272.

tem revocat flor. caput XVI, quam oratiunculam non mutilatam quod primo obtutu credas sed totam integramque esse puto. Orator ob statuam sibi a populo Carthaginiensium decretam sed nondum exstructam gratias vult agere cum ceteris tum Aemiliano Straboni viro consulari. Sed prolusionem praemittit, in qua declamatorum more de se ipso nonnulla narrat. Quod tam sero ad gratias agendas in medium prodierit, valetudine[1]) sua infirma excusat, qua ut ad Persianas aquas proficisceretur coactus est; quam excusationem tum largius et fabula de Philemonis comoediarum poetae simili casu enarrata (24, 20 Helm; 64 Oud.) et brevi ecphrasi, quomodo ipse aegrotaverit, explanat. Sic benevolos facit sibi audientes et de se certiores; ad orationis caput autem facile sibi transitum parat narrando se quam primum, ubi vixdum[2]) sanatus esset, rediisse, ut pro beneficio statuae decretae gratiam referret. Sperat sese tempore futuro librum conscripturum esse[3]) in honorem Aemilii Strabonis; nunc orationem se dicturum certa philosophorum ratione elaboratam i. e. encomion ad leges rhetoricas confectum, quod a verbis 'Quibusnam verbis tibi' (28, 1 Helm, 71 Oud.) incipit et virum consularem illum plurimis quaesitisque verbis ornat atque eius

1) qua de re saepius oratores agunt cf. Dion. or. LII (n. 31) et adn. sequ.

2) Audientibus blandiri, ubi valetudinis receptae mentionem faciunt, mos est oratorum; v. Themist. or. XIV (180 c) Dind.; Joh. Chrysost. *π. μεταν.* I *α* (Migne 49 p. 277) *εἰλόμεθα μᾶλλον ἔχοντες ἔτι τὰ λείψανα τῆς ἀρρωστίας ἐπανελθεῖν κτλ*, idem *π. μεταν.* VIII *α* Migne 49 p. 335 iisdem fere verbis utitur. Illius aetatis homines saepe aegrotasse atque etiam hac re esse gloriati videntur. Quantopere tunc virorum corpora debilitata fuerint E. Rohde docet Roman[2] 381.

3) similem promissionem legimus apud Himerium or. IV 8. 10.

Carthaginiensiumque beneficium praedicat. Huius vero laudationis nostra non iam interest. Quam partem autem praefationi assignamus, ea habet tres fere paginas Teubnerianas.[1])

42. Etiam floridorum caput XVII vix mutilatum existimo, etsi brevius quam no. 41 est; paulo enim plus duas paginas Teubnerianas complet. In principio[2]) abrupte, ut in prolaliis usus est, sophistas importunos cavillatur suamque demonstrat modestiam; affirmat enim Scipioni Orfito, quem nominatim appellat, se eius amicitiam, non ut notus fieret utve ea gloriari posset, quaesivisse. Tum *σύγκρισιν* inter bestiarum et humanam vocem facit et auditores eximiis blanditiis afficit. Quo facto ut ad ipsam rem transitum sibi paret, carmen[3]) in Orfiti laudes factum indicans[4]) brevi viri laudatione adiuncta veniam ex eo petit, quod ex meritis paucissima tangit, auditoresque, ut hoc opusculum examinent, urbane orat. Hoc e fine apparet id, quod exstat, praeludium esse encomii Scipionis Orfiti vel e chartis vel memoriter dicti. E verbis autem in exordio dictis, quibus commendationem recusat (30, 24 Helm; 77 Oud.) et se notiorem dicit quam ut indigeat novae commendationis (31, 4 Helm; 77 Oud.), concludere fortasse licet, ei prolaliae parti, qua de se oratores loquebantur, nomen commendationis fuisse. Argumentum autem huius prolusionis proprium de voce humana exercenda est, quod dum tractat Apuleius verba,

1) laudatio ipsa brevior est; nam si totam oratiunculam in septem partes dividimus, praefationi quattuor, laudationi tres assignare debemus.

2) v. editionem Helmianam, quae lacunam in exordio statuit.

3) cf. supra p. 70,1.

4) quo loco aves bene cantantes commemorat, quibus saepe sophistae comparantur v. n. 24.

quibus singularum bestiarum voces significantur, affert, ut, cum illa aetate studium vocum obsoletarum summae auctoritatis fuerit, et suae doctrinae documentum praebeat et auditorum cupiditati satisfaciat. Pluribus autem fabulis breviter indicatis de Arione et Orpheo,[1]) Vergili versu laudato paulo fusius disserit. Quod ad morem rhetorum Romanorum saepius commemoratum (v. p. 64) optime quadrat.[2])

43. Flor. caput IX gratulatoria est oratiuncula, cuius in tertia parte Severianum proconsulem eiusque filium laudibus celebrat. Primum autem de se dicit et aliter atque iis, quas antea examinavimus, orationibus de se sophistice gloriatur, ut exspectationem auditorum augeat impetu in invisores non omisso. Deinde addit commendationem parvulam et comparationem praeconis et proconsulis, quomodo uterque magistratus dicere soleat, annectit, quam ita vertit, ut se proconsuli componat[3]); huius enim verba, ubi dicta sunt, mutari nequeunt, atque etiam sua statim excipientur et legentur scilicet ab aliis[4]) scriptae et provulgatae. Tum transit ad facultates suas dicendi praedicandas et Hippiae, qui opificii fere omnia genera exercere valebat, exemplum in hac altera oratio-

---

1) v. Dionis or. XXXII 61; alii eiusdem exempli loci leguntur in commentario Oudendorpiano ad nostrum locum conscripto ed. II p. 81.

2) Utrum hoc laudationis Scipionis Orfiti prosaice conscriptae an versuum in eiusdem virtutes pactorum prooemium sit, A. Goldbacher l. l. p. 19 nescire se fatetur. Apuleius tantum sese carmen recitaturum esse dicit, hanc vocem autem eodem sensu adhibere videtur quo sophistae Graeci (v. n. 40).

3) et adversarios fortasse praeconibus; v. Dionis or. XIII 11 *ἀνακηρύττουσιν ἑαυτοὺς ὥσπερ οἱ Ὀλυμπίασι κήρυκες* in adversarios dictum, quod Themistius or. XIII 162a imitatur.

4) cf supra p. 44, 3.

nis parte fusius enarrat[1]); quo *ἐκφράσεως* artificiosae documentum praebet et auditores delectando sibi captat. Conclusione facta, qua opera sua declamatoria et Hippiae opificia comparat, ad ipsam rem se vertit, ad laudandos proconsulem filiumque[2]) (13, 23 Helm; 37 Oud.). Utrique viro nobili congratulatur omnes sperare affirmans eum, qui legatus mittatur, proconsulem esse reversurum[3]). Qui finis, utrum ad primam partem, qua exspectationem adeo commovit, apta sit, aliquid mihi dubium est, praesertim si orationes Dioneas XXXII (n. 25) et XXXIV (n. 26) in exordio idem appetentes inspicio; accedit quod prima parte nullo verbo proconsulem commemorat et post primam partem in codicibus vetustissimis optimisque[4]) titulus inscriptus est, quo librum I floridorum esse finitum indicatur; totius autem in libros divisio ab Apuleio ipso facta videtur esse (cf. E. Rohde, Kl. Schrift. II 50, 1 contra Goldbacherum l. l. p. 19). Itaque parva non abest suspicio has reliquias eidem oratiunculae non assignandas esse (v. supra n. 5). Hac in oratiuncula ipsa indicium insequentis orationis maioris non invenitur; minor autem videtur, quam quae sola *ἐπιδείξεως* ambitum complere potuerit.

Quibus prolusionibus in magistratus urbesque dictis simillimae apud Himerium inveniuntur, quas infra p. 96 s. breviter annotabo. Inter cetera autem floridorum fragmenta etsi ambitu minora, tamen nonnulla sunt, quae e praelocutionibus excerptas esse certum est.

---

1) cuius fons est Plato Hipp. min. 368 B C; cf. Dio or. LXXI.

2) cf. Luc. Harmon. supra n. 9.

3) Qua in re *τοῖς τόποις τῆς προπεμπτικῆς λαλιᾶς* usus est v. Menand. *π.* *ἐπιδ.* Rh. Gr. III p. 395, 31 Sp. cf. Helm ed. praef. XIX.

4) F et *φ* ex illo descriptus.

44. Cap. I hanc potissimum sententiam habet: Ut viatorum mos est paulisper assidere, cum locus sanctus in via oblatus est, ita oratori sanctissimam hanc civitatem ingresso paulisper commorandum, praefanda venia, habenda oratio. Sic hoc fragmento — nam plura desunt — sibi benevolentiam blandiendo captat; totam autem prolaliam ad exspectationem minuendam fuisse factam ex verbis 'praefanda venia' discimus. Quod porro urbem cum sancto loco comparat, *πρόσωπον τηλαυγές* est, ut hac Pindari voce utar. Quae addit, locorum sanctorum, quae praecipue sint et quo modo colantur, *ἔκφρασιν* etsi non praebet tamen indicat. Praeterea Apuleium unum fuisse ex sophistis ab urbe ad urbem migrantibus hoc praeludium est documentum.

45. Capitis V initium mutilatum est, cum orator a verbis 'bono enim studio' incipiat; laudat autem eos, qui ad philosophum audiendum convenerunt, et 'ut Dio saepe' mimis comoedisque cum philosopho comparatis[1]) hunc homines docere dicit. Non multa in initio deesse intellegimus, si exordium cap. XVIII (n. 40), cuius primae parti hoc caput simillimum est, inspicimus.

46. Cap. XX. Apuleius in principio sententiam sapientis cuiusdam viri de poculorum vi et effectu exhibet, unde ad literarum studium conclusionem facit. Musarum enim craterrae[2]) aliter ac vini, quanto

1) v. n. 25. 29. 40.

2) Quam metonymiam ut ipsa vox craterrae demonstrat ad literas Graecas reducendam esse elucet; v. Pindar. Ol. VII 14 *καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν Μοισᾶν δόσιν . . . . πέμπων*, Isthm. IV 2 *δεύτερον κρατῆρα Μοισαίων μελέων* et Plato *λόγους ποτίμους* dicit Phaedr. 243 D, quem qui secuti sint, Thesaurus s. v. *πότιμος* indicat. Similiter Ennius dicit (sat. III p. 205, 7 Vahlen[2]): 'versus propinas flammeos'. Et Apuleius antiquorum imitator erat, qui hanc imaginem adamavisse videtur (cf. flor.

plures bibuntur tanto magis prosunt, quae Apuleio occasio est gloriandi, quia permulta horum poculorum bibit (cf. cap. XI), opera sua similibus orationis luminibus efferens atque alii rhetores Romani et Graeci (cf. n. 13. 65). Tamen commendationem addit dum se voluntate maiore quam facultate Musas coluisse modeste affirmat. Cum autem conatus[1]) ipse in laude sit, iam Carthagini benedicere se conaturum esse, qua sententia in fine posita orationis ipsius argumentum indicat. Ceterum cum de se tantum dicat, brevioris forma prolusio est.

De ceteris floridorum capitibus tam certe iudicare non possumus, cum pleraque fragmenta sint, quae etiam ex alterius orationis ac prolaliae contextu excerpta esse possunt; tamen nonnulla fuisse in praefationibus simile quidem veri est.

47. Cap. XV habet de Samo insula oratiunculam. Describit orator eam more scriptorum Geographicorum atque ita se talium ecphraseon peritum (cf. n. 1 p. 12, 1) demonstrat. Tum alterius generis descriptionem adnectit statuae[2]) a Polycrate tyranno dicatae, quam quidam Pythagorae esse falso existi-

---

15 Oud. 59; Met. V 30); et alii sophistae recentiores et patres ecclesiastici eandem adhibentur velut Lucianus Nigr. 5 *μεθύων ὑπὸ τῶν λόγων*, ab Aelio Aristide poeta incertus or. 8 (XLV 13 Keil) laudatur, apud quem *πίθοι ὕμνων* legebatur; apud Philostr. Vita Apoll. IV 24 et apud Himerium in fine or. VI. XV *λόγων δὲ κρατῆρες* inveniuntur, dum Gregorius Nyss. *τοῦ πνευματικοῦ λόγου τὰς κύλικας* adhibet; sic L. Cresoll. Vacat. autumn. p. 417 (ipse non inveni hunc locum), qui vir literarum peritus etiam alios locos contulit.

1) v. similes Pauli Silentiarii sententias, Descr. s. Sophiae ecclesiae v. 115 Bekk. C. S. H. B.

2) cf. Fr. Matz l. l. p. 11 qui Apuleium huius rei artificem praedicat. Verba quae leguntur 'canticum videtur . . . eliquare' (20, 21 Helm; 54 Oud.) similibus aliorum scriptorum allatis explanat L. Cresollius, Vac. autumn. p. 474.

maverint, cum adolescentis citharoedi sit; qua re commovetur, ut de Pythagora philosopho διήγησιν[1]) adiungat; quam laxam addendi rationem similiter Dionem et Favorinum amare supra demonstravi. Tum de Pythagorae itineribus ad barbaros factis[2]) certiores facit auditores fretus eorum cupiditate, quae viro talia afferenti facilem aurem praebebat. Addit deinde pauca de nonnullis Pythagorae magistris velut de Pherecyde, qui fuit orationis pedestris artificiose conscribendae εὑρετής,[3]) et postquam se Platonis asseclam esse dixit, commemorat disciplinam tacendi Pythagoream[4]) qua re concludendi occasionem adipiscitur: et ipse enim, tacere potest, quin etiam cupit. Hoc modo orator modestiae suae documentum documento artis suae annectit. Hac in ultima parte virum quendam nobilem, cuius antecessores in fine commemorat, appellat; fortasse is nuper advenit et Apuleius hac oratione advenientem salutabat. Ex generis demonstrativi oratione id fragmentum esse sumptum, cum in reliquis dicendi generibus vix locum habeat per se patet. Mentio enim suae superbae modestiae statim capitis XVII exordium in memoriam revocat, et quod tempestivae vocis testimonium sese consecutum esse dicit in fine, optime ad praefationem mihi quadrare videtur et quidem ad illam partem, unde ad proprium orationis argumentum transire solet Apuleius (cf. n. 42). Quod porro oratiuncula abrupte incipit et varias ἐκ-

1) cuius fontes E. Maass, De biographis Graecis. Phil. Unters., III Berl. 1880 p. 89 indicat.

2) quibus auctoribus hoc debeat, docet F. Schaefer, Quid Graeci de origine philosophiae a barbaris ducenda putaverint. Diss. Lips. 1877, p. 31, v. etiam E. Zeller, Die Philosophie der Griechen[5] Leipz. 1892, I 1, 296 ss.

3) cf. infra n. 48 flor. III; quosnam alibi εὑρετάς Apuleius proferat, P. Vallette l. l. p. 172 docet.

4) v. iocum Demonactis infra n. 65.

φράσεις laxe coniungit, hac ipsa re prolusio esse videtur, quae tamen hoc proprium habet, quod imago verbis depicta invenitur cuius Apuleius alterum exemplum non praebet.

48. Convertamus nos ad capita III et IV, quae ex una eademque oratione excerpta esse Adolphus Goldbacher nulla causa allata statuit l. l. p. 19, qua coniectura fortasse rectum invenit. Utrumque enim fragmentum, et III et IV[1]) de arte tibicinaria est; sed illo fragmento de re huic contraria disputatur. Illo enim quid et externis et internis rebus intersit inter duos viros, qui eodem artis instrumento funguntur, ecphrasi certaminis Marsyae[2]) et Apollinis eorumque syncrisi (4, 3 Helm; 11 Oud.) explanat, hoc autem de communi quadam re externa, de nomine, quod eidem arti studentibus idem sit, quamquam internis rebus valde differunt fabula de Antigenida tibicine[3]) aliisque exemplis adhibitis, disserit. Si cogitamus Apuleium in capite XVIII duas fabulas contrarias conectere, adducimur, ut haec quoque fragmenta uni eidemque praefationi attribuamus, etsi

---

1) Unus est quem hic alloquitur: 'seu tu velles' (5, 14 Helm; 17 Oud.).

2) Antea de eius patris Hyagnidis arte fabulatur, cum patres filiosque vel magistros discipulosque libenter coniungant veteres, ut hoc modo ab priore ad alteram fabulam facile transgrediantur, velut de Marsya et Olympo Dio or. III 1, Alex. Peloplato infra n. 72, Choricius p. 198 Boiss.; de Socrate et Alcibiade Himerius or. XXXIV 3; v. etiam n. 56 adn.

3) Quem huius rei valde pigebat; idem Dio or. XLIX 12 de Ismeno narrat. De simili argumento, nempe amores et legitimum et libidinosum eadem voce designari, Max. Tyrius XXIV 1 disserit. Videntur autem sophistae tales quaestiones eam ob rem adhibuisse, quod de sensu et verbis disputare huius aetatis proprium erat v. supra n. 42; sic Max. Tyrius, in exordio orationis XXXVIII 1 etymologiam vocis δῖος ab Homero adhibitae praebet.

certum iudicium ferre non possumus. At quin prolaliae aptae sint hae reliquiae, vix dubium est, cum praeter lumina allata exemplo Hyagnidis versu Vergiliano implexo (3, 17 Helm; 11 Oud.) se duas linguas uno spiritu exercere etiamsi expressis verbis non dicat tamen indicet et mimos declamatoresque (5, 20 Helm; 18 Oud.) ut saepe[1]) componat, quae res optime ad praefandi genus quadrant.

49. Caput XIII laudes philosophiae continet, dum oratur cum brevi et temperario avium cantu a natura commodato orationem suam omnicanam a philosophia sibi praebitam comparat[2]). Nemo est cui non simillimi loci praeludiorum IX et XVIII in mentem veniant (n. 43 et 40).

50. Ipsius Apulei (n. 47) et Dionis (n. 27) et Luciani (n. 1) reminiscimur, cum caput VI inspicimus. Loquitur enim nullo exordio praemisso primum de Indiae situ frugibus bestiis, deinde de indigenarum ordinibus, quorum genus praestabile philosophi qui gymnosophistae vocentur, sunt, de quorum disciplina discipulisque fusius disserit. Ergo *ἐκφράσεις τόπου* et *πράγματος* coniungit, quibus versus subtexit (6, 12 Helm; 19 Oud.); ubi vero ad alteram partem maiore gravitate insignem transit, eodem modo quo Lucianus (supra p. 14) auditorium incitat his verbis (6, 24 Helm; 20 Oud.): 'de miraculis ... disseruerim' et iterum (7, 5 Helm; 21 Oud.) 'hos ego maxime admiror'.[3]) Ab iis autem, quae in fine affert, facilis ad argumentum morale[4]) transitus erat.

1) v. n. 25. 29. 40. 45.

2) Philostratus Lemnius similiter cum cicada luscinia hirundine cycno comparatur uno epigrammate Anth. Graec. app. III n. 225 (ed. Cougny p. 328).

3) v. n. 1. 2. 4. 7. 30.

4) cf. P. Valette l. l. p. 116.

51. In capite XII iterum ἔκφρασις quaedam legitur eaque scriptorum physicorum more facta, cui se studuisse documentum statuere vult; psittacum enim describit,[1]) praecipue quam facile hominum sermonem imitetur et convicia, quae didicit, semper iteret; unde oritur suspicio, iis quae quondam secuta hodie desiderantur, obtrectatorem cum tali psittaco comparare Apuleium voluisse. Cum autem prolusionibus adversarios avium imagine carpere soleant sophistae,[2]) hanc quoque ex praeludio sumptam esse proxima coniectura est. Tamen pro certo affirmari hoc non potest, cum etiam orationes ipsae nobis traditae sint, quibus in inimicos invehantur; sic priorum rhetorum Isocratis κατὰ τῶν σοφιστῶν,[3]) recentiorum Luciani ψευδολογιστής, Aelii Aristidis or. 50 (XXXIV Kéil) κατὰ τῶν ἐξορχουμένων, Themistii or. XXIII σοφιστής adversus calumniatores versae.

52. Aeque incerta res est de cap. VII,[4]) cuius in exordio ponit ut πρόσωπον τηλαυγές Alexandri Magni laudationem, deinde disserit de eius edicto, ut optimus quisque artifex regis simulacrum perficeret, tum in conclusione simile philosophiae edictum optat, ne homines[5]) rudes sordidi imperiti regalem hanc disciplinam male vivendo et prave dicendo con-

1) Plin. nat. hist. X 117 fortasse fons est, ex quo non per ambages Apuleius hausit, ut P. Valette l. l. p. 177, 1 sumit, sed ipse illum legit, v. C. Wittig, Quaest. Lydianae. Diss. Reg. 1910 p. 66.

2) v. n. 23. 24. 30.

3) quam quidem orationem v. Wilamowitz, Arist. u. Athen p. 2 sophisticam praefationem dicit.

4) cf. P. Vallette l. l. p. 166.

5) qui saepe vituperantur, v. supra Dio n. 23. Apuleius libenter se philosophice gessit, atque etiam colore Cynico paululum tinctum interdum se praebuit v. P. Vallette l. l. p. 129 ss. 152. R. Helm, Luc. u. Men. p. 316.

taminent. Hae sententiae fortasse praeludii partem eam fecerunt, quae narrationem continens ex rerum memoria desumptam[1]) saepius legitur, unde ad suam artem vel praedicandam vel minuendam transire potuit, postquam impetum in obtrectatores absolvit. Sed certe hoc statuere non licet.

53. Tribus capitibus de viris claris fabulatur, c. XIV. XXII de Cratete, XIX de Asclepiade medico,[2]) quae fabulae etsi, ut quae attentos efficiant animos, aptae ad praefationes sunt, tamen et aliis orationum locis quondam exstitisse possunt; ut ille Crates laudatur ab Apuleio intra ipsius orationis terminos Apol. c. 22 (440 Oud.).

54. Etiam c. XXI quia de itinere interrumpendo si festinanti vir nobilis obviam fertur verba facit, initio declamationis a Goldbachero l. l. p. 19 attribuitur, quocum faciam; principem quendam a rhetore salutari verisimile videtur.

Praeter haec, quae in codicibus ipsis floridis tribuuntur, ante orationem de deo Socratis habitam quinque fragmenta exstant, quae iam Petrus Pithous Floridis attribuenda censebat, viris doctis qui post eum fuerunt aliis annuentibus aliis negantibus, quos P. Thomas ubi illa frustula denuo accurate perpendit (Bulletin de l'académie de Belgique, classe des lettres 1900 p. 143 ss.) enumerat. Quocum etsi ple-

---

1) cf. n. 40. 41. 43.

2) de hoc v. Christ, Gr. Lit.⁴ p. 888, 3; P. W. II 1632 s. v. Asklepiades 39. Erat s. I a. Chr. n. rhetor et philosophus, antequam medicus est factus, ergo in arte colenda Apulei collega. Artes medicinam et sophisticam usque ad ultima antiquitatis tempora hic illic invenimus coniunctas; velut Zacharias scholasticus discipulus fuit *Γεσσίου τοῦ ἰατροσοφιστοῦ*, v. *Δημοσθένης Ῥοῦσσος, Τρεῖς Γαζαῖοι*. Diss. Lips. *ἐν Κωνσταντινουπόλει* 1893 p. 47. De fabulis ab Apuleio hoc loco allatis v. E. Rohde, Roman² p. 396. 438.

rumque ego quoque facio, tamen, quantum mea interest, de iisdem frustulis breviter referre mihi liceat.

55. Cap. I[1]) (103 Oud.). Orator, cum, qui audiunt, poscant, ut ex tempore dicat nonnullis auditorum blanditiis praemissis *σύγκρισιν* (104 Oud.) inter verba extemporalia et scripta facit, et benevolentiam denuo blandiendo captat[2]). Hanc esse praefationem, qua ad extemporalem[3]) sermonem schedis perlectis transibat, ex huius oratiunculae initio apparet. Cumque ea in fine auditores captet simulque ad ipsam orationem spectet, perfecta esse videtur, nec possum probare quod van der Vliet in editione huic alterum caput annectendum censebat. Sed ne in exordio quidem quidquam desideratur, immo oratorem in primis verbis versari allocutio audientium et imperativus 'accipite' docent. Disserit igitur hac prolusione de se et de ratione declamandi inclusa benevolentiae captatione; quam usitatam fuisse rhetoribus Romanis supra dixi p. 37. 41. 64.

56. Cap. II (106 Oud.) exemplum affert Aristippi,[4]) qui tyranno cuidam philosophi *παρρησίαν* ostendit. Haec pars manca est, nam incipit a verbis 'At ego' et in fine conclusio desideratur. Cum tales fabulae praesto sint inprimis in praefationibus et ab hac ipsa narratione facillime ad se auditoresque convertere potuerit sententiam praelocutioni attribuam dictae fortasse penes multitudinem nimis concitatam ideoque oratori periculosam, vel penes unum virum.

57. Cap. III (106 Oud.) quod verbum subito assumpsit excusat comparatione lepida cum lapidibus

---

1) Numeri sunt edit. Thomanae Lips. 1908, Teubn.

2) imagine e rebus nauticis adhibita (v. n. 2. 8. 63).

3) cf. infra p. 84.

4) eum Cyrenaicae sectae *εὑρετήν* (v. n. 47) et Socratis discipulum (cf. p. 78, 2) fuisse commemorat.

temere suo murorum loco positis facta. Orationis ex tempore dictae pars est propter hoc pulchrum exemplum servata.

58. Cap. IV (108 Oud.) incipit: 'praebui me quorundam voluntati, qui ... desiderabant, ut dicerem ex tempore'; se autem in periculum incurrere sibi videri ne, cum novam petat gloriam, sc. ex tempore dicendi, pristinam amittat. Quod ut illustret, corvi vulpisque fabulam Aesopeam[1]) more suo solito pertractat. Hoc caput capiti primo simillimum esse Thomas l. l. p. 153 docuit[2]). Hanc autem partem prolaliae aptam esse luce clarius fit luminibus, quibus utitur.[3]) Sed conclusio periit; quod enim subsequitur c. V (111 Oud.) transitus est ab orationis parte Graeca ad Latinam; et hanc partem et c. IV cum dissertatione de deo Socratis ex tempore ut orator fingit habita quondam coniunctas fuisse et alii et nuper R. Helm, De prooemio Apuleianae quae est de deo Socratis orationis, Philol. 59 p. 598 ss. docuerunt.

Ita singulis floridorum frustulis perquisitis multa eorum praeludia esse aut conicere ant demonstrare potuimus. Utitur autem Apuleius his praelocutionibus et ubi opera bene praeparata velut carmina vel laudationes in deos et homines (n. 40. 41. 42) recitat

1) Halm 204. 204 C; alios qui ea usi sunt Thomas in ed. annotat.

2) prima autem capitis IV verba docent sive in auditorio sive antequam prodiit ei nuntiatum esse, quid auditores vellent, cum cap. I in auditorio ipso idem ab Apuleio iam locuto flagitatum sit.

3) Quae hoc fragmentum solum praebet, ea etiam ad epilogum quadrare Thomas l. l. p. 153 demonstrat; quod ut prolusioni tribuamus, tam multis prolaliarum reliquiis similibus et verbis (108 Oud.) 'ne ... cogar amittere' quae et ille v. d. affert, ducimur.

et ubi ex tempore dixit[1]) (n. 55. 58). Iis, quae de se profert quaeque ut apud rhetorem Romanum et clarum sophistam multa sunt, exspectationem interdum modestia affectata minuit (n. 40. 42. 44. 46), sed saepius auget (n. 43. 46. 47). Forma autem sunt aut breviores, quibus ad fabulas tantum alludit (n. 42. 55) aut ampliores, quibus plerumque media in praefatione fabulae vel una vel, quod facere adamat, duae ponuntur[2]) enarratae; antecedunt nonnulla de oratore ipso dicta, sequitur conclusio. Fabulis illis praecipue artem suam demonstrare auditoresque non tam docere quam delectare[3]) cupit, qua re verus sophista non philosophus esse cognoscitur. Quo maiore exspectatione fabulae audiantur, verbis eas inducit velut 'non pigebit aliquid fabulari' prologi de d. Socr. IV (3, 14 Thomas; 108 Oud.), 'video quid postuletis; utramque narrabo' flor. XVIII (36, 2 Helm; 87 Oud.), 'quid istud sit, si animo attendatis, diligentius et accuratius disputabo' flor. IX (11, 23 Helm; 31 Oud.). Quod ad fabularum exemplorumque originem attinet, eas non Apuleio proprias esse immo apud alios quoque eosque vetustiores scriptores inveniri P. Vallette recte monuit l. l. p. 171. Adhibet enim ex vitis philosophorum sumptas plurimas (n. 42. 43. 47. 53. 56) et ex aliorum virorum clarorum inprimis artificum vitis (n. 41. 48. 49. 52. 53), ex fabulis Aesopeis unam (n. 58); denique *εὑρήματα* virorum afferre amat (v. supra n. 40. 47. 48. 56) ut

---

1) quod etiam fingere sophistis licebat v. Hermog. *π. μεθοδ. δεινότητος* c. XVII *π. προσποιήσεως σχεδιασμοῦ* Rh. Gr. III 422, 14 Walz: *ἐν δέ γε ἐγκωμιαστικῇ ἰδέᾳ οὐ κωλύει . . χρῆσθαί ποτε . . . . . καὶ προσποιήσει σχεδίου.*

2) quod A. Thimme, Quaest. Luc. p. 4 vituperat.

3) quod sophistae proprium esse Dio or. XXXIII 4 ss. (v. n. 24) indicat; cf. etiam P. Vallette p. 181.

Diog. Laertius,[1]) una fabula de deo quodam enarrata (n. 48), ἐκφράσεις vero, siquidem illa frustula recte prolaliis attribuimus, rariores inveniuntur (n. 47. 50. 51), quarum una artificum opus describitur (n. 47), altera avis (n. 51), bis autem terrae (n. 47. 50), inter quas est India fabulosa (n. 50). Praeterea ex his floridis apparet et qua auctoritate oratori magistratus Romani fuerint, cuius rei etiam apud Lucianum vestigia exstabant (v. n. 8. 9), et quam saepe laudationes dixerit, quod sophistarum non philosophi erat et in orationibus posterorum velut Himerii et Choricii saepius invenitur. Hoc autem ipso lepide dicendi genere quod laliarum proprium est Apuleium permagnum valere,[2]) P. Vallette ubi de forma et stilo floridorum agit (l. l. p. 164 s.), etsi laliarum nomen non adhibet, docet.

Ab oratoribus adhuc examinatis longe distat Aelius Aristides alter ille Demosthenes. Orationum eius demonstrativarum quae exstant exordia magis prooemia quam prolaliae sunt. Tamen ne quid desideres pauca afferam.

59. Aristides ipse praefationem liberius dictam et prooemium orationi proprium disiungit or. XXXIII 2 Keil (51 Dind.), qua se defendit *πρὸς τοὺς αἰτιωμένους ὅτι μὴ μελετῴη*. Cuius prooemio ad rem orationis ipsius spectanti (§ 3—6) alterum praetexit (§ 1—3) quo hanc orationem iam compositam amico [3])

1) cf. U. v. Wilamowitz Ad E. Maassium epistula, Philol. Unters. III, Berl. 1880 p. 143. F. Leo, Die griech.-roem. Biographie, Leipz. 1901 p. 46.

2) M. Schanz, Roem. Litt.-Gesch. III² p. 124 si recte intellego hanc Apulei rationem singularem esse putat, cum rhetores Graecos non commemorat.

3) qui vir nobilis Romanus videtur fuisse, cuius nomen Latinum ab Aelio ut ab Atticista perquam severo (P. W. II 801) evitatur.

profecturo ut προπεμπτικόν dedicat (cf. B. Keil in adn. ad or. XXXIII). Itaque haec prolusio propius ad prolaliarum genus accedit allusiones et ad rem maritimam[1]) (§ 2) et ad poetarum versus continens, quamquam ornatu ambituque a prolusionibus oratorum, quorum artem supra examinavi, longe distat.

60. Etiam exordium orationis εἰς Ῥώμην XXVI Keil (14 Dind.) quae ut laudatio generi διαλέξεων vel λαλιῶν attribui debet, quamquam orator sicut Apuleius flor. I (n. 44) exemplo iter facientium, qui quod cuique visum est dis vovere solent, in initio utitur, non prolalia de suo proprio argumento sed prooemium est, cum statim conclusionem faciat ad suum urbis palam laudandae votum et hoc modo ad argumentum totius sermonis se convertat. Cui non obstat, quod quae sequuntur saepe in prolusionibus inveniuntur; cum enim aemulatorum cavillationes et modestiae oratoris ipsius τόπους contineant, loci cuiusvis exordiorum generis communes sunt.

61. Dionis orationis LII (n. 31), ubi ante fabulas de Philoctete comparatas orator de se dicit, commonet or. 47 Dind. πρὸς Καπίτωνα, cuius in exordio Aristides postquam se cum Capitone amico Platonem colente congruere affirmavit, narrat quomodo quondam cum Maximo senatore Romano et rhetore docto convenerit in simili Demosthenis studio; tum facit sibi transitum ad sermonem ipsum quo se Platonem contumeliis affecisse negat. Cum tota hac oratione unum appellet (p. 415. 418. 420 Dind. alibi), uni autem viro non nisi accedentibus causis gravissimis oratio habita esse possit, hanc vix dictam immo scriptam ergo epistulam esse puto.

Quae igitur nobis orationum Aelianarum initia exstant, unum vel alterum eorum exhibent, quae

1) v. n. 43.

coniuncta veram prolaliam efficiunt; a qua tamen eo differunt, quod plerumque inde ab initio ad ipsius orationis argumentum exordia spectant. Qua in re non parva auctoritate Aristidi exemplum oratorum Atticorum fuisse existimo, quos eum accuratissime imitando sectatum esse scimus. Gracilis autem illius sermonum levitatis et iocosae salsaeque dicendi rationis, qua Lucianus Dio Apuleius in prolusionibus excellebant, documenta non exstant, aut quia, ut orationes[1]) demonstrant, rationem dicendi quam maxime excultam appetebat itaque omnino praelocutiones aliter composuit, aut quod leviores haud dignas duxit quae servarentur; nam eum quoniam *μελέτας*[2]) declamavit praefationes quoque adhibuisse pro certo habeo.

Non tam Aelii Aristidis quam Dionis in arte colenda collega Maximus Tyrius extremo p. Chr. n. saeculo II docebat, cuius operum *διαλέξεις*[3]) servatae sunt quae ut e nomine elucet a prolaliis non alienae sunt. Atque re vera imprimis cum Dioneis componi possunt propter rationem similiter lepidam et levem, a quibus tamen eo disiunguntur quod nusquam de se dicit orator et comparationes exemplave plerumque ita eligit, ut suo loco statim orationis argumentum explanent vel facillime ad id vertantur, quare magis assignanda sunt prooemiis ipsis. Tamen breviter de paucis referre mihi liceat.

62. Or. XXXVI Hob. Aetate aurea (v. n. 27) cum vita sui aevi comparata ad argumentum *εἰ προηγούμενος ὁ τοῦ Κυνικοῦ*[4]) *βίος* facile transit. Or.

1) cf. Christ, Gr. Literat.[4] p. 752.
2) quas v. d. B. Keil vol. I editurus est.
3) de titulo v. editionis ab H. Hobein curatae praef. p. XXIII.
4) cf. p. 53. 57.

XXXII Hob. *περὶ ἡδονῆς ὅτι εἰ καὶ ἀγαθὸν ἀλλ' οὐ βέβαιον* fabulam Aesopeam[1]) de cerva a pastore leoni non voce sed digito prodita ad eos vertit, qui sermone fortes animum ut ille digitum in voluptatem intendunt. Or. XIV Prodici fabulam de Hercule narratam (v. n. 7) adaptat argumento *τίσι χωριστέον τὸν κόλακα τοῦ φίλου.*

Qua autem ratione in prooemiis componendis utatur, quos versus sententias imagines fabulas adhibeat, cum H. Hobein accuratissime demonstraverit (De Maximo Tyrio quaest. philol. sel. Diss. Gott. 1895 p. 25, 2) non iterem. Addam autem primis interdum verbis velut or. XVI *ἀλλ' εἰ μὲν* et or. XXVII *καὶ πῶς* indicari, oratorem pergere potius quam incipere; ergo pars quaedam, fortasse prolusio, antecessit.

63. Inseram hoc loco verba, quae in Demonactis vita Luciani inter libros servata *τοῦ . . . Σιδωνίου . . . σοφιστοῦ* traduntur, quia istum Maximum eorum auctorem esse viri docti suspicantur.[2]) Leguntur haec § 14: *τοῦ δὲ Σιδωνίου ποτὲ σοφιστοῦ 'Αθήνησιν εὐδοκιμοῦντος καὶ λέγοντος ὑπὲρ αὐτοῦ ἔπαινόν τινα τοιοῦτον ὅτι πάσης φιλοσοφίας πεπείραται — οὐ χεῖρον δὲ αὐτὰ εἰπεῖν ἃ ἔλεγεν. 'Εὰν 'Αριστοτέλης με καλῇ ἐπὶ τὸ Λύκειον, ἕψομαι. ἂν Πλάτων ἐπὶ τὴν 'Ακαδημίαν, ἀφίξομαι. ἂν Ζήνων, ἐπὶ τῇ Ποικίλῃ διατρίψω. ἂν Πυθαγόρας καλῇ, σιωπήσομαι. ἀναστὰς οὖν ἐκ μέσων τῶν ἀκροωμένων (ὁ Δημῶναξ) Οὗτος, ἔφη προσειπὼν τὸ ὄνομα, καλεῖ σε Πυθαγόρας.* Quae verba prolaliae partem fuisse, qui supra n. 13 inspiciet, pro certo habebit.

Illius quae Maximum tulit aetatis alios sophistas

---

1) Phaedr. append. VI 26 Lepus et bubulcus et venator.
2) v. K. Funk, Philol. Suppl. X p. 626 ad. 180.

prolaliis esse usos apparet, si eorum vitas a Philostrato conscriptas perquirimus[1]).

64. Vitae soph. I 25, 3[2]) legimus: Cum Hadrianus imperator Athenis templum Iovis dedicaret[3]) et Polemonem sophistam iussisset diem festum oratione ornare[4]), hic, *ὥσπερ εἰώθει, στήσας τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐπὶ τὰς ἤδη παρισταμένας ἐννοίας ἐπαφῆκεν ἑαυτὸν τῷ λόγῳ καὶ ἀπὸ τῆς κρηπῖδος τοῦ νεὼ διελέχθη πολλὰ καὶ θαυμάσια, προοίμιον ποιούμενος τοῦ λόγου τὸ μὴ ἀθεεὶ τὴν περὶ αὐτοῦ ὁρμὴν γενέσθαι οἱ.* Ergo sicut Dio[5]) se ex tempore dicere simulabat et *διάλεξιν* habuit, cuius in principio de se locutus est et ut alii[6]) ad auctoritatem suam augendam divino instinctu gloriabatur. Sed utrum hoc prooemium laxiore illa Dionis et Apulei forma conceptum fuerit an paulo artius cum oratione ipsa coniunctum id quod Ael. Aristides[7]) amat, ex Philostrati verbis concludi non potest. Polemonem autem saepius prolalias adhibuisse constat (v. n. 65 ss.) quod mirum non est cum Dionis fuerit discipulus (cf. Vitas s. I 25, 3). Itaque sumere malim hoc quoque exordium cum Dionis arte aliquo modo angustius cohaesisse.

65. Melius Polemonis praefandi ratio cognoscitur, ubi a Philostrato prima eius declamatio Athenis ha-

1) quos numeris 69—73. 76. 77. 79. 80. signavi, de iis iam W. Schmid Attic. I 35 egit.

2) numeri sunt editionis Kayserianae.

3) a. p. Chr. n. 129, cf. W. Judeich, Topogr. v. Athen, Muench. 1905 p. 340.

4) *ἐφυμνῆσαι τῇ θυσίᾳ* cf. supra p. 70, 1.

5) v. supra p. 65; cf. p. 84.

6) v. supra 13, 3.

7) Cui Polemonem tribuunt magistrum Byzantini nonnulli v. W. Schmid, P. W. II 887 s. v. Aristeides 24 (quibus addas Suid. s. v. *Πολέμων*), qui tamen horum sententiam improbat.

bita describitur (V. s. 25, 4): *Ἀθηναίοις μὲν γὰρ ἐπιδεικνύμενος αὐτοσχεδίους λόγους .... οὐκ ἐς ἐγκώμια κατέστησεν ἑαυτὸν τοῦ ἄστεος .... οὐδ' ὑπὲρ τῆς ἑαυτοῦ δόξης ἐμακρηγόρησε .... ἀλλ' εὖ γιγνώσκων ὅτι τὰς Ἀθηναίων φύσεις ἐπικόπτειν χρὴ μᾶλλον ἢ ἐπαίρειν, διελέχθη ὧδε: 'φασὶν ὑμᾶς ὦ Ἀθηναῖοι σοφοὺς εἶναι ἀκροατὰς λόγων· εἴσομαι'.* Ergo urbis laudes et suam ipsius gloriam oratorem efferre in praeludiis Philostratus ut usum rhetorum commemorat; quo neglecto incipit Polemo extemporalem sermonem dicturus singulari et audaci modo, audientibus minime blandiendo. Haec autem ipsa ratio ad sophistae illius celeberrimi superbiam optime quadrat. Cum vero Philostratus *ἐπικόπτειν* et *ἐπαίρειν*[1]) dicat, suspicio oritur ea vocabula nobis tradi, quae his artibus propria fuerint.

66. Aliam prolusionem a Polemone dictam Philostratus I 24, 2 commemorat: cum quondam argumentum declamandi postulavisset et omnes qui aderant in Marcum sophistam Byzantinum, ut proponeret conversi sunt, quem tum Polemo nondum noverat, *διελέχθη ἐς τὸν ἄνδρα πόλλα τε καὶ θαυμάσια ἐφιεὶς τῷ καιρῷ* et *μελέτην* ipse declamavit et audivit a Marco declamatam[2]). Ergo tunc duas praelocutiones praebuit: priore argumentum sibi flagitabat[3]) (v. n. 39) altera virum excellentem salutabat ut saepe Apuleius (n. **41**. 42. 43).

67. Similiter I 25, 6 Herodem Atticum (*ὁ Πολέμων*) *ἀφικόμενον ἐς τὴν ἐπίδειξιν ἐδέξατο ἐπαίνῳ μα-*

1) v. n. 79.

2) Idem de Megistia et Hippodromo sophistis Philostratus narrat in Vitis s. II 27, 5.

3) Dio XII 21 (v. n. 23) audientibus urbane argumentum ut eligant concedit quamquam nullo dubio sibi constabat *περὶ τῆς πρώτης τοῦ θεοῦ ἐννοίας* disserere.

κρῷ καὶ ἐπαξίῳ τῶν Ἡρώδου λόγων τε καὶ ἔργων. Cum ex iis quae antecedunt pateat Polemonem *μελέτην* praebiturum fuisse, nisi in prolalia locus Herodis salutandi non fuit.

68. Is quem modo commemoravimus Marcus V. s. I 24, 1 artem sophisticam[1]) ob varietatem cum arcu caelesti comparavit *καὶ ἤρξατο τῆς διαλέξεως ὧδε· ὁ τὴν ἶριν*[2]) *ἰδών, ὡς ἓν χρῶμα οὐκ εἶδεν, ὡς θαυμάσαι κτλ.* Utrum *διάλεξις*[3]) hoc loco prolusio sit an dissertatio ipsa W. Schmid, Attic. I 34 quaerit, cui ego respondere[4]) non audeam. Id autem in propatulo est eum in exordio tamquam *πρόσωπον τηλαυγές* hoc exemplum posuisse.

69. Quam lepide in oratione ipsa interdum ad auditores se converterint rhetores nova allocutione, praeter Apuleium (n. 55) Alexander Peloplato (V. s. II 5, 3) nobis exemplar est; Athenis enim cum Herodes Atticus se et adulescentes discipulos in theatrum ad audiendum venturos promisisset et cunctarentur, incipit *τὴν διάλεξιν καὶ πρὶν ἥκειν τὸν Ἡρώδην. ἡ μὲν δὴ διάλεξις ἔπαινοι ἦσαν τοῦ ἄστεος καὶ ἀπολογία πρὸς τοὺς Ἀθηναίους ὑπὲρ τοῦ μήπω πρότερον παρ' αὐτοὺς ἀφῖχθαι, εἶχε δὲ καὶ τὸ ἀποχρῶν μῆκος·*[5]) *Παναθηναϊκοῦ γὰρ λόγου ἐπιτομῇ εἴκασται. εὐσταλὴς δὲ οὕτω τοῖς Ἀθηναίοις ἔδοξεν ὡς καὶ βόμβον διελθεῖν αὐτῶν ἔτι σιωπῶντος ἐπαινεσάντων αὐτοῦ τὸ εὔσχημον. ἡ μὲν οὖν νενικηκυῖα ὑπόθεσις κτλ.* Hanc fuisse pro-

---

1) De simili argumento in prolusione tractato v. n. 82.

2) v. Hor. de arte poetica 14: inceptis gravibus adsuitur pannus, cum .... pluvius describitur arcus.

3) De hac vocula v. supra p. 4 ss.

4) si prolusio est, hoc loco primum praeclarae comparationis exemplum inveniri potest, quam antea neque Isaeus, Marci magister, neque alii eius temporis rhetores videntur adhibuisse, cf. supra n. 17—21.

5) cf. supra p. 27.

laliam patet: qua perfecta plausuque finito argumentum *μελέτης*[1]) flagitavit, ut ex tempore declamationem ipsam haberet. Ex multis autem unum est electum *ὁ τοὺς Σκύθας ἐπανάγων κτλ.* Hic igitur iterum invenimus,[2]) laudationem urbis et commendationem sui praelocutione proferri. Inde autem quod ambitum prolaliae aptum commemorat, quem haec satis magnum habebat, concludere possumus non defuisse, quae eum non complerent.

70. Cum autem Alexander iam declamationis ipsius argumentum tractaret, Herodes advenit. Quo facto orator se interrupit Herodemque salutavit et arbitrum eum fecit utrum quod iam tractaret argumentum audire mallet an ipse alterum proponere. Hoc novae praefationis instar erat, cuius initium oratori Herodis habitus videtur praebuisse. Legimus enim: *προϊόντος δὲ αὐτῷ τοῦ λόγου ἐπέστη ὁ Ἡρώδης Ἀρκάδι πίλῳ τὴν κεφαλὴν σκιάζων ὡς ἐν ὥρᾳ θέρους εἰώθει Ἀθήνησιν, ἴσως δέ που καὶ ἐνδεικνύμενος αὐτῷ τὸ ἐκ τῆς ὁδοῦ ἥκειν. καὶ ὁ Ἀλέξανδρος ἔνθεν ἑλὼν διελέχθη μὲν ἐς τὴν παρουσίαν τοῦ ἀνδρὸς ὑποσέμνῳ τῇ λέξει καὶ ἠχούσῃ κτλ.* Hanc allocutionem Apuleianis (n. 41. 42) similem fuisse putare nostro iure possumus.

Aliarum quoque *διαλέξεων* Alexandri paucas Philostratus affert in Vitis s. II 5, 4 *ὡς μὲν δὴ σεμνῶς τε καὶ ξὺν ἡδονῇ διελέγετο,*[3]) *δηλοῦσι τῶν διαλέξεων αἵδε* **(71)** *'Μαρσύας ἤρα Ὀλύμπου καὶ Ὄλυμπος τοῦ αὐλεῖν'* *καὶ* **(72)** *πάλιν 'Ἀραβία γῇ δένδρα πολλά, πεδία κατά-*

---

1) quod ubi audivit *καιρὸν ἐπισχὼν βραχὺν ἀνεπήδησε τοῦ θρόνου*; ergo antea sedebat cf. supra n. 14.

2) v. n. 24. 27.

3) Favorinum, quem ornatiore exordio usum esse supra (n. 37) vidimus, magistrum Alexandri fuisse Philostratus (V. s. II 5, 4) narrat, qui illius vestigia pressisse videtur.

σκια, γυμνὸν οὐδέν, φυτὰ ἡ γῆ, τὰ ἄνθη. οὐδὲ φύλλον Ἀράβιον ἐκβαλεῖς, οὐδὲ κάρφος ἀπορρίψεις οὐδὲν ἐκεῖ φυέν, τοσοῦτον ἡ γῆ περὶ τοὺς ἱδρῶτας εὐτυχεῖ' καὶ πάλιν (73) *'ἀνὴρ πένης ἀπ' Ἰωνίας, ἡ δὲ Ἰωνία Ἕλληνές εἰσιν οἰκήσαντες ἐν τῇ βαρβάρων.'* Cum scriptores Graeci, ubi opera cuiusdam laudant, prima verba[1]) afferre soleant, haec trium prolaliarum initia esse elucet. Habemus n. 71 fabulam de tibicinibus claris qui idem discipulus magisterque erant neque amore non vincti (cf. n. 40); n. 72 *ἔκφρασιν* Arabiae, terrae felicis, sicut supra n. 27. 50; n. 73 narrationem de paupere viro Ionico ut supra (26. 35) de viris Asiam minorem habitantibus invenimus fabulas (v. etiam infra 74). Iones autem esse Graecos dicere non omittit (v. Dionem n. 35) unde fortasse accuratius de barbaris agere coepit.

74. Has ipsas prolalias eligit Philostratus, quod eas alius sophista, Antiochus nomine Antiochiae iocosa sententia illusit; antequam enim ipse argumentum petivit, nomina nonnulla enumerabat (V. s. II 5, 4) *Ἰωνίαι Λυδίαι Μαρσύαι μωρίαι· δότε πρόβλημα,* quae verba et ipsa videlicet praelocutionis vice functa sunt et illas tres Alexandri prolusiones Antiochiae notas fuisse demonstrant, cum id nisi fuisset, omni caruissent aculeo.

75. Commendationis, qua Hermogenes usus est, fragmentum traditur V. s. II 7: *ἐπὶ τοῦ Μάρκου διαλεγόμενος 'ἰδοὺ ἥκω σοι, ἔφη (ὁ Ἑρμογένης), 'βασιλεῦ, ῥήτωρ παιδαγωγοῦ δεόμενος, ῥήτωρ ἡλικίαν περιμένων' καὶ πλείω ἕτερα διελέχθη καὶ ὧδε βωμόλοχα.*

---

1) velut Aristot. Ἀθην. πολ. c. V Solonis elegiam, cuius rationem recentiores sequuntur, v. R. Seippel, De veterum script. Graec. ratione auctores laudandi. Diss. Gryph. 1903 sent. contr. I.

76. Interdum etiam ineptas res praefationibus inseruisse sophistas ex iis discimus, quae de Philagro legimus (V. s. II 8, 1). Qui cum in theatrum prodiisset, laudibus Atheniensium uxoris in Ionia mortuae naeniam immiscuit, ita ut haec eius *διάλεξις* puerilis videretur; eam quoque ob rem vituperata, quod *νεαροηχὴς καὶ ἐσπασμένη τὰς ἔννοιας* erat. Re vera hanc *διάλεξιν* fuisse praefationem eo demonstratur quod Philostratus de declamatione tunc Athenis habita referens pergit: *τὴν δὲ μελέτην οὕτως ἐπεβουλεύθη*; cuius argumentum addit. Apparet autem hunc quoque ut alios laudes urbis cum narratione suarum rerum coniunxisse. Quod vero Philagri res adversae erant, hoc in praeludio certe omen infelix esse ab auditoribus existimabatur.

77. Sophistarum superbiae novum praebet exemplar Adrianus Tyrius (V. s. II 10, 2): *Μεστὸς δὲ οὕτω παρρησίας ἐπὶ τὸν θρόνον παρῆλθε τὸν Ἀθήνησιν ὡς προοίμιόν οἱ γενέσθαι τῆς πρὸς αὐτοὺς διαλέξεως μὴ τὴν ἐκείνων σοφίαν, ἀλλὰ τὴν ἑαυτοῦ, ἤρξατο γὰρ δὴ ὧδε· 'πάλιν ἐκ Φοινίκης γράμματα'* quo ut est consentaneum, primum literarum elementa per Cadmum,[1]) iam vero sophisticam doctrinam per se ex Phoenicia Athenas esse inducta significare volebat. Quod quidem prooemium iure Philostratus vituperat, quia *ὑπερπνέοντος ἦν τοὺς Ἀθηναίους καὶ διδόντος τι αὐτοῖς ἀγαθὸν μᾶλλον ἢ λαμβάνοντος.*

78. Adriani ex discipulis unus erat Polydeuces Naucratita, qui (V. s. II 12, 2) traditur de Proteo[2]) egisse, *ἰδέα δὲ αὐτοῦ διαλεγομένου μὲν ἥδε. 'ὁ Πρωτεὺς*

1) v. Herod. V 58.

2) quocum rhetor, qui Demosthenis *ἐγκώμιον* inter opera Lucianea traditum conscripsit se comparat § 23. Rhetores hoc exemplo proverbii loco utebantur v. E. Salzmann l. l. p. 10; cf. etiam Max. Tyr. I 1 Hob.; Himer. or. XXI 9.

ὁ Φάριος τὸ θαῦμα τὸ Ὁμηρικὸν πολλαὶ μὲν αὐτοῦ καὶ πολυειδεῖς αἱ μορφαί, quas accuratius explicavit. Utrum autem haec verba, quamquam ex *διαλέξει*, ex praefatione prompta sint, incertum est, etiamsi Philostratus libenter ex hisce ipsis quippe quae ornatiores essent, sententias excerpsisse videtur.

79. A vulgato more alienus sua ipsius laudatione semper abstinuit Hippodromus, si Philostrato fidem habemus (Vitae s. II 27, 3): *παραλαβὼν γὰρ τὴν τέχνην φίλαυτόν τε καὶ ἀλαζόνα οὔτε ἐς ἔπαινον ἑαυτοῦ κατέστη ποτὲ καὶ ἐπέκοπτε*[1]) *τὰς ὑπερβολὰς τῶν ἐπαίνων*. Etsi Philostratus hoc non de praeludiis solis sed in universum dicat, ad prolalias, in quibus hoc praecipue fieri solebat, imprimis quadrat.

80. Idem Hippodromus cum et ipse et rhetores omnes, qui Athenis erant professores, a Proclo Naucratita contumelia essent affecti, orationem habuit, qua (V. s. II 27, 3) *ἔπαινον εὐφημίας διεξῆλθεν, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ ταώ τοῦ ὄρνιθος ὡς ἀναπτεροῦντος αὐτὸν τοῦ ἐπαίνου.*[2]) Incipit igitur a descriptione quadem ut in *διαλέξεσι* usus fert, qua simul adversarium adumbrari verisimilie est. Iterum autem dubium, utrum haec *ἔκφρασις* prolaliae an prooemii exordium fuerit; mihi quidem hoc verisimilius videtur, quoniam haec imago propterea electa est, quod haud difficile ab laudibus, quae ad ostentandum incitant, ad *εὐφημίας* laudationem orationis tenor dirigi potest.

---

1) cf. de hoc verbo supra n. 65.

2) Talis pavonis descriptio inter aliarum avium exstat Anecd. Graeca Paris. ed. J. A. Cramer, Oxonii 1839 I p. 30, quas editor Dionysii poetae de avibus libri reliquias ducit (p. 21), quamquam oratione pedestri traditae sunt; cf. autem supra Dionis or. XII (n. 23).

Ergo etiam eos, quorum nobis non servata sunt opera, sophistas prolaliis studuisse vidimus; quod certissime concludere possumus, ubi Philostratus eos post dialexin finitam vel argumentum petivisse vel *μελέτην* dixisse narrat n. 65. 66. 67. 69. 70. 74.

Eadem via etiam posteris temporibus sophistas, quorum ars postquam aliquamdiu iacuit, novum vigorem recepit, s. IV ingredi vidimus. Prohaeresium enim et Nymphidianum prolusionibus usos esse Eunapius tradit (p. 488. 497 Boiss.); inter orationes Himerii Themistii Choricii nos quoque praelocutiones[1]) legimus, cum Libanii lucubratiuncularum nulla possit appellari prolalia, ut vir huius rhetoris sermonum peritissimus nunc editor R. Foerster testatur (Arch. Jahrb. IV 1894 p. 167, 3). Si breviter quae cuique eorum propria sunt afferre mihi licet, haec sunt:

Himerii prolusiones id novum praebent quod ad discipulos respexit orator (v. or. X. XI. XII. XV. XXI. XXII. XXXIV Duebn.), cum illis temporibus scholae maiore industria frequentarentur quam antea; quin etiam ubi proconsulem laudat, discipulos appellat (or. IV. XIV). Aliis prolaliis ut Apuleius (n. 40—44) urbes et magistratus salutat laudatque (or. V. VI. VII; IV. XIII. XIV 1—12).[2]) Id quoque Himerii ex orationibus XXI. XXXIV discimus, quomodo discipulus a magistro artem acceperit (cf. supra p. 66). Omnes autem exemplis comparationibus similibus artis rhetoricae ornamentis ita refertae sunt ut unum

---

1) Interdum titulis ipsis signatae velut Himerii or. XXI; Themistii or. XXVIII; Choricii p. 293 Boiss.; apud hunc vox dialexis in titulis semper fere prolaliam significat.

2) Haec inter Himerianas maxima tres et dimidiam paginas Teubnerianas complet; prolaliae paulatim minores fieri videntur (v. n. 7. 23. 25. 27. 41).

alterum excipiat.[1]) Quorum cum plurima etiam a prioribus sophistis adhibeantur, Himerii ipsius ut oratoris mysteriis initiati propriae comparationes sunt, quibus Orphea mysteriaque affert (cf. or. VII. XIII).

Eodem tempore sophista et idem philosophus Themistius vivebat, qui contra sophistas quod philosophice se gerebat, contra philosophos quod muneribus rei publicae fungebatur, saepe se defendebat.[2]) Tales ipsius res ut commendationis pars praecipue in exordiis[3]) orationum inveniuntur, quae ipsae genere *διαλέξεων*[4]) sunt omnibus sophisticae artis luminibus[5]) usae. Habitae autem sunt et in theatris et coram imperatoribus et in senatu.

Etiam Choricius s. VI ultimis antiquae aetatis terminis in urbe prope fines imperii extremos sita ut omnino artem rhetoricam studiose colit sic etiam in praeludiis componendis priorum vestigia premit. Inveniuntur autem, qua de re nos tituli certiores faciunt, et ante *μελέτας* et ante orationes gratulatorias vel laudatorias. Etiam discipuli ab eo sicut ab Hi-

---

1) cf. Photium, Bibl. cod. 165.

2) Qua de re librum conscripsit L. Méridier, Le philosophe Thémistios devant l'opinion de ses contemporains, Rennes 1906.

3) Necesse est or. XXVI inspicere, cui titulus est *ὑπὲρ τοῦ λέγειν ἢ πῶς τῷ φιλοσόφῳ λεκτέον*, qui deest in cod. *A*; in hoc *προθεωρία* legitur vox inscriptionis loco a librario quodam haud recte inserta, cum prolaliae initium sit. Incipit enim ut Lucianus n. 6 (cf. etiam Apul. n. 41) ab iis quae declamatione priore sibi acciderint. Tum ut Dio n. 30 quaerit cur homines philosophis ut ceteris viris suo more se gerere non concedant.

4) Méridier l. l. p. 46 ss.

5) rariora interdum cum Choricio communia habet velut or. XXV 310 d principem inter duas virtutes pingit tamquam in tabula ut Choricius p. 127 Boiss.; fabulam de Phocione fortasse e vita Plutarchea VIII 745 haustam enarrat or. XVIII 218 a b ut Choricius Philol. 54 p. 120; *λυχνοκαΐαν* Aegyptiorum (cf. Herod. II 62) describit or. IV 49 a ut Choricius p. 122 Boiss.

merio saepius commemorantur (Philol. 54 p. 114. 115; Rh. Mus. 37 p. 483). Ubi autem rhetor fabulas deorum adhibet, novum nobis offertur; excusat enim eas et fictas esse interdum clare indicat (Rh. Mus. 49 p. 502, 2; Philol. 54 p. 114, 15; 60 p. 193, 13). Videlicet iam tum ob fabellas paganas a christianis vituperatus est ut posteriore tempore a Photio cod. 160, qui eas miratus causam adhibendarum non intellexit.

81. Habebant autem ut supra p. 3 commemoravi poetae quoque declamationes carminum, qua re et ipsi adducebantur, ut uterentur praefationibus. Ita Laberium[1]) poetam prologo tali usum esse scimus. Legimus enim apud Macrobium Sat. II 7, 2 'Laberium asperae libertatis equitem Romanum Caesar invitavit, ut prodiret in scaenam et ipse ageret mimos, quos scriptitabat. Se a Caesare coactum esse Laberius in prologo testatur his versibus' et sequuntur 27[2]) versus, quibus de se dicit, dum queritur quod bis tricenis annis sine nota actis eques Romanus nunc mimus domum reverti coactus est. Tum Fortunam appellat (v. 16. 23) et senectutem suam conqueritur et describit sententiis similibus earum quibus Lucianus in 'Hercule' usus est (n. 2). Ad eundem fontem et rhetoris Syri et equitis Romani dicta reduci posse, ad artis rhetoricae leges a Graecis inventas Romanisque notas patet; eas infra tractabo. Praeterea autem haec praefatio quasi filum est, quo ad fabulas in theatris actas eorumque praeludia ducimur; quod corroboratur voce 'prologus'. Ut enim mimi inter fabulas die festivo actas suscipiebantur[3]) ita similitudinem inter illorum et harum praelocutiones constituere possumus. Sed priusquam

1) quem Valerius Licianus ad verbum imitatus est; v. n. 19.
2) v. Com. Rom. Frg. ed. Ribbeck p. 359.
3) v. Schanz, Roem. Litt. I 2³ p. 15.

de hoc conexu statuendo agam, alios colligam locos, quibus poetas praefationibus in auditorio usos esse antequam carmina recitarent intellegamus.

82. Eius moris exemplum vetustissimum quod nobis notum est Diomedes grammaticus tradit,[1]) qui de Vergilio scribit: 'Priapeum, quo Vergilius in prolusionibus suis usus fuit, tale est: 'incidi patulum in specum procumbente Priapo'. Hanc prolusionis vocem alterum nomen esse appendicis, quae fertur Vergilianae, Schanzius Roem. Lit. II² 1, 64 dicit, cui tamen assentiri non possum. Immo vero de praefationibus quales tractamus est dicta; eadem enim vocula Cicero eadem vi utitur de oratore (II 325)[2]), quo orationum penes iudices habitarum principia vel prooemia nominat prolusiones; quam iure quidem Diomedes ad lucubratiunculas, quas Vergilius versibus recitandis praemisit, transtulit. Versu quem legimus poeta de se narrat. Ergo hic de se narrandi τόπος iam tum in usu erat. Neque abest suspicio eum dixisse in illo specu carmen quod est recitaturus a Musis sibi in animum iniectum esse, cum antrum ut Casmenarum sedes saepius a poetis praedicetur,[3]) aut fortasse a Priapo[4]) ipso, ut Tibullus eleg. I 4, 1 hunc deum de amoribus puerorum consulit et de simili deo Vergilius ecl. VI 13 narrat: 'Chromis et Mnasyllos in antro | Silenum pueri somno videre iacentem' qui ab iis vinctus carmine recitato se solvit. Similia fortasse hic de se et Priapo poeta praebuit,

---

1) Gram. Latini I 512, 27 Keil.

2) v. infra p. 117, 1.

3) locos invenies collectos in Thes. nostro s. v. antrum. II 192 b 8.

4) Lascivas res hoc versu indicari non putem; neque enim quadrant ad prolusionem.

Quod autem Diomedes plurali forma utitur, Vergilii consuetudinem fuisse prolusione uti indicat.

83. De alio poeta, cui Vergilium fuisse exemplar loco quem statim afferemus ab ipso edocti scimus, Lucano, refert Suetonius (Luc. ed. Hosius² p. 332): 'Dein ... civile bellum, quod a Pompeio et Caesare gestum est, recitavit ...[1]) ut praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans ausus sit dicere: et quantum mihi restat ad Culicem.' Quo discimus Lucanum in 'praefatione', quae vox saepius de *προλαλιαῖς* adhibetur,[2]) ante carminis cuiusdam recitationem de se et eo, quocum aemulando certabat, verba fecisse. Cum Vollmero autem, qui hanc prolusionem versuum nexu repudiato nullo metro constrictam fuisse arbitratur,[3]) facere non possum. Ut enim Vergilii praefatio priapeos versus adhibebat, sic hoc quoque loco versuum reliquias statuam: hexametri exitum et alterius initium habes.

84. Persius quoque usus est prolaliis eisque versibus alio quidem metro ac quod in carminibus ipsis adhibebat conceptis; choliambos enim, quos ut prologum ante hexametros satirarum positum legimus,

---

1) Lacunosum esse verborum contextum viri docti Francken (ed. p. 257) Usener Reifferscheid (ed. Hosianae app. crit.) animadverterunt. Itaque praefationem fuisse coniunctam cum Pharsaliorum carmine sumere haud licet.

2) v. supra p. 38.

3) P. Papinii Statii silv. libri ed. Fr. Vollmer, Leipz. 1898 praef. p. 11, 1. Contra cuius sententiam haec quondam in prooemio libri conscripti lecta esse pugnare videntur verba 'praefatione quadam', nam si in libris manuscriptis exstitisset haec praefatio, eam inspicere atque accuratius afferre potuisset Suetonius; at optime quadrat ad prolusionem non libris manuscriptis publicatam quia ad declamationem facta erat, de qua ille rerum scriptor alia qualibet via certior factus est.

primum in recitatione dictos[1]) esse puto, deinde etiam in libris conscriptis una cum satiris vulgatos videmus. Loquitur hoc prologo de se et rogat auditores ne ex poetarum, qui Graeco more per somnium aut postquam e sacro fonte biberunt inter vates recepti sint,[2]) numero ducatur esse.[3]) Cui abrupte alteram annectit sententiam: poetas non ingenium sed dira fames efficit. Ergo aperte ut rhetores in prologo adversarios cavillatur et cum avibus comparat, non cum iis quibus se ipsos posteriores rhetores comparabant sed cum psittaco[4]) et pica crocitantibus. 'Ita simul sibi viam munivit ad argumentum, quod prima satira tractavit, quod si universum spectes hoc est eam esse litterarum et poeticorum studiorum conditionem, ut is cui haec curae sint non possit non satiram scribere,' ut Persiani commentatoris Jahnii (ed. p. 71) verbis utar. Utrum autem totus nobis servatus sit prologus quattuordecim tantum versibus traditis, paulum mihi dubium est.[5]) Quae exstant, iis non solum de suae artis conditione qua ab aliis poetis differt sed etiam de suis ipsius rebus certiores facit auditores, quippe qui subindicet se ad versus pangendos non necessitate duci, ergo divitem esse. Quod autem 'ut repente sic poeta prodirem' dicit, Persium primae recitationi, qua se poetam praestitit, hosce versus praemisisse patet. Quae si probantur, facillime difficul-

1) quod W. Christ, Gr. Liter.[4] 826 significare videtur.

2) quod permulti gloriabantur, primus Romanorum poetarum Ennius; cf. E. Gaar, Persiusprobleme. Wien. Stud. 31 (1909) p. 132.

3) Etiam verba 'carmen nostrum' Graecum carminis pangendi morem refutant; v. Jahn ed. p. 71.; E. Gaar l. l. p. 129.

4) v. Apulei flor. XII (n. 51).

5) Quod Cornuti scholia ipsa tot quot legimus interpretantur docet detruncationem quam sumimus tum iam confectam esse.

tates tolluntur, quae oriuntur si sumimus hunc prologum postea conscriptum esse, ut saturas in editionem conexas ornaret, deque quibus E. Gaar, Persiusprobleme, Wien. Stud. 31 (1909), p. 128. 135. 233 refert. Non ubi lectoribus sed ubi audientibus primum dicere incipit, haec verba suo loco erant. Quas porro E. Gaar l. l. 241 ut similes affert lucubrationes, eae non omnes idem spectant neque eadem natura sunt, sed aut lectorem appellant velut Phaedri II prol. v. 11 III v. 1. 63 aut epistulae sunt velut quales Martialis epigrammatum libris I. II. VIII. IX. XII atque Statius silvarum libris praemisit oratione pedestri conscriptas,[1]) aut dictae praefationes putari possunt velut quas paulo infra tractabo (n. 86), Senecae et Pomponii.

85. Alium eiusdem temporis poetam, cuius tamen de carmine non plura traduntur, praefationes habuisse docet Martialis epigr. III 18. 'Perfrixisse tuas questa est praefatio fauces; | Cum te excusaris, Maxime, quid recitas?' Ergo iterum invenimus de se dixisse poetam ad spem auditorum minuendam et valetudinem causam[2]) veniae petitae attulisse.

86. Quin etiam, ubi tragoediae hoc tempore in auditorio recitabantur,[3]) poetae praefationibus fabulas praeparabant; ita Senecae tragoediarum prooemia[4]) habuit, de quibus Quintilianus dicit VIII 3, 31: 'nam memini iuvenis admodum inter Pomponium et Se-

---

1) De hoc genere breviter agit Peter D. Brief, p. 246.

2) v. n. 41.

3) v. Teuffel, Gesch. d. r. Lit.[6] ed. W. Kroll et F. Skutsch II, p. 232, 5.

4) quae cur E. Gaar l. l. p. 241 prosaica dicat, vix causa est, cum poetarum aliorum praefationes versibus compositae sint (v. n. 81—84); sed certum diiudicare non possumus.

necam etiam praefationibus[1]) esse tractatum an 'gradus eliminat' in tragoedia dici oportuisset'. Ex quo loco concluditur alterum poetam, fortasse Pomponium[2]) in tragoedia quadam hac vocum coniunctione usum esse, alterum eam vituperasse, illum deinde defendisse. Ergo ut critici his in praeludiis versabantur poetae et, si huius usus priora exempla quaerimus, iterum ad praefationes fabularum in theatro actarum, imprimis comoediarum ducimur.

87. Scimus enim fuisse morem poetarum, qui palliatas conscripserunt, interdum prologum praemittere, quo auctor de suis rebus cum auditoribus agebat, velut inter comoedias Plautinas[3]) in prologo fabulae Menaechmorum v. 7 ss., Casinae in prologo v. 9 a posteriore[4]) poeta, cum haec fabula denuo ageretur, aemuli carpuntur. Huius modi prolusiones magis magisque[5]) a fabula ipsa solutae a Terentio ita adhibentur, ut non tam de fabulae argumento, certiores faciat auditores quam de fabula in universum et de exemplaribus Graecis et praecipue de suis cum malivolo vetere poeta certaminibus disserat neque omittat ultimis plerumque versibus benevolentiam audientium captare, quos saepius cum iudicibus comparat (Heaut. Tim. v. 25, Adelph. v. 6). Nec tales literariae contentiones, quales apud Pomponium et Senecam inda-

1) v. Wilamowitz, Einl. in die att. Trag., Berl. 1889, p. 20, 34 et Peter, D. Brief, p. 248 has praefationes de artis praeceptis disseruisse sumunt.

2) v. W. Kroll, Teuffels Litt.-Gesch. l. l.; apud Senecam enim haec vox non invenitur.

3) cf. F. Leo, Plaut. Forsch., p. 171.

4) v. F. Skutsch, Ein Prol. des Diphilus u. eine Komoedie des Plautus, Rh. Mus. 55 p. 273.

5) Ab Euripide ad Plautum usque prologi forma tantum, a Plauto ad Terentium etiam argumentis sententiisque a fabulis ipsis solvebantur; sic F. Leo, Plaut. Forsch. p. 175.

gamus, desiderantur; velut Eun. 1—19 comoedias, quas adversarius poeta nuper male vertendo pessum dederit, perstringit. Cum vero ille se ab hoc impetu defendisset,[1]) Terentius Phormionis prologo eum refutavit, quo exemplum ex quadam illius comoedia depromptum[2]) cavillatur (v. 6 ss.), statimque propter continua certamina se excusat apud auditores.

88. Cuius praefandi artis exemplaria quin iam in Graeca comoedia exstiterint, dubium esse non potest, cum fragmentum talis prologi habeamus inter papyros Argentoratenses servatum,[3]) ubi deus aliquis prologi munere fungi videtur qui poetae aemulos vituperat.

89. Secuti autem sunt Terentium tempore posteriore Afranius,[4]) de quo Cassiodorus[5]) tradit 'in ea togata, quae Compitalia inscribitur, suis respondens detrectatoribus dicentibus eum de libro Menandri non solum sententias sed verba integra transsumpsisse fatetur se sumpsisse non ab illo modo sed etiam a Latino', quae in prologo tantum confiteri potuit.

90. Etiam Atellanae poeta Pomponius[6]) quae dixit de fabula, 'placuit populatim omnibus' in praefatione dixisse videtur, et Laberius,[7]) qui 'versorum non numerorum numero studuimus' confirmat, hoc non nisi in prologo affirmare potuit. Utuntur igitur tali prologo ut de se suisque rebus aliquid afferant

---

1) cf. Leo, Pl. Forsch. p. 89, 1.

2) Leo, l. l. p. 146, 3.

3) cf. R. Reitzenstein, Aus d. Strassb. Papyrussamml. Herm. 35 (1900) p. 622.

4) v. Leo l. l. p. 175, 1.

5) de amic. prol.; similiter Macrob. sat. VI 1, 4; cf. Com. Rom. Frg. p. 198 v. 25 Ribb.

6) cuius rei Nonius 150, 19 Muel. (C. R. F. p. 305, 182 Ribb.) auctor est.

7) Priscianus G. L. II 1, 258 Keil (C. R. F. p. 349, 55 Ribb.) tradit versum; ceterum de Laberio cf. n. 81.

poetae et *νέας κωμῳδίας* et palliatae et mimi et fabularum non solum actarum sed etiam scriptarum.

Ergo videmus procedentibus demum temporibus prologos comicorum in prolalias converti. Quod poetas ab iis qui recitabant seque in initio audientibus commendabant mutuatos esse patet.

A poetis autem recitandi mos non minus quam a rhetoribus declamandi per antiquum aevum ita servatus[1]) est, ut eius vestigia apud Choricii aequales inveniri possint. Agathias[2]) enim et Paulus Silentiarius[3]) et Ioannes Gazaeus[4]) praelocutiones praemittunt antequam recitant, quae *τόπους* commendationis et laudationis auditorum, praecipue principis eorum continent, sed comparationibus aliisque ornamentis parce immixtis rhetorum prolusionibus contrariae sunt.

Iam me convertam ad singulos *τόπους* quibus posteri prolalias composuerunt; ars rhetorica enim elementa earum iam pridem paraverat et unum alterumque adhibuerat. Oratores in prolaliis de se dicere[5]), ut auditores certiores fiant, quis sit is quem audient, quidve velit, fabulas et *ἐκφράσεις* afferre ut ornent orationis contextum audientesque sibi concilient, quem ad finem praeterea blanditiis non parcent, scimus.

Quorum locorum primus omnium prolaliarum

---

1) cf. E. Rohde, Roman^2, p. 327. Haec prooemia praemittere novum esse false E. Abel, Ioannis Gazaei descr. tabulae mundi et Anacreontea, Berol. 1882 p. 7 sumpsit.

2) Anth. Pal. IV 3. (I. p. 50 Duebn.)

3) Pauli Silentiarii descr. s. Sophiae et Ambonis rec. Im. Bekker C. S. H. B. p. 3.

4) ed. E. Abel l. l.

5) Is usus posteriore aetate in prooemiis librorum qui tantum scribendo publici iuris facti sunt, invenitur; cf. Cic. Laelium, Brutum, acad. prior., ubi de se vel de se et amico vel de se et adversariis disserit.

ultimus fons fuisse videtur. Nam quicumque inter ignaros recitabat, necessitate coactus erat, ut ante ipsam recitationem de se suoque consilio audientes certiores redderet; cuius loci afferendi cum in exordio optima occasio sit, iam in primis literarum monumentis, apud vetustissimos rerum scriptores[1]) Hecataeum in exordio genealogiarum[2]) et Herodotum hic usus inveniri potest, qui postea Athenis, ubi alter orator alterum in orationibus iudiciariis sugillabat, facta cum adversariis contentione etiam in orationes demonstrativas suscepta[3]) auctus est, velut Isocrates in prooemio Helenae[4]) (§ 1—13), Busiridis (§ 1—8), Panathenaici[5]) (§ 1—38) tales res affert et in prooemio Euagorae (§ 1—11) *τὸ γένος ἐγκωμιαστικόν* laudat defenditque aliis scilicet antea id aggressis.

Ἐκφράσεις porro addere iamdudum poetis mos erat. A vetustissima descriptione artificiosa, ab Homerica Achillis scuti (Il. *Σ*) per reliquos epicos ad eos poetas pervenimus, qui a sophistis arte rhetorica eruditi hanc cum poesi miscebant velut Euripides[6]), inde ad Alexandrinos qui vocantur, eorumque imitatores Romanos. Prosaicae autem orationis scriptorum Philistum Theopompum Ciceronem huic ordini attribuit E. Norden, Kunstprosa I 285 per quos declamatorum aetatem assecuti sumus. Quod autem sae-

1) quos recitasse opera sua sumere necesse est, cf. G. Engel, De antiqu. epic. didact. histor. prooemiis. Diss. Marp. 1910 p. 44.

2) F. H. G. I p. 25 Muel.

3) cf. W. Suess, Ethos, p. 245. Nec praetermittam nos fragmentum habere orationis Gorgiae Isocratis magistri, quo in aliquem invehit; quod utrum in prooemio dictum sit, incertum est; exstat autem apud Arist. rhet. III 3 p. 1405 b 37 (Or. Att. II 131, 15).

4) v. supra n. 23.

5) quod praeludium quod ut senis verbosius sit in fine excusatur, primum oratoris se excusantis exemplum.

6) cf. Christ-Schmid, Gr. Lit.-Gesch.[5] I p. 349, 3; 362, 4; 511.

pius tabulae statuaeque descriptae sunt (n. 2. 5. 6. 37. 47) ex sophistis Nicostratus[1]) s. p. Chr. n. II huius artis vetustissimum exemplum praebet.

Praeter ecphrases fabulae a rhetoribus in prolaliis adhibentur, praecipue ut dixi ab iis qui philosophia cynica tincti erant, quod mirum non est, cum tales omnibus temporibus in promptu cynicis fuisse viri docti doceant[2]). Si vero an qui iis etiam priores usi sint quaerimus, ad oratores Atticos sophistasve eiusdem aetatis pervenimus. Cuivis enim orationis loco ornamento sunt; saepe autem iisdem orator etiam affirmat ea quae contendit. Velut Lycurgus oratione sola nobis servata in Leocratem habita fabula de Codro § 84 prioris virtutis exemplum[3]) statuit; alias addit § 93. 95. 98. 128 de quibus *παρεκβάσεσι* Hermogenes *π. ἰδ. β'* (Rh. Gr. III 389 Walz) docet: *ἃ δὴ τῆς φαινομένης ἐστὶ καὶ αὐτὰ δεινότητος.* Similiter Hyperides[4]) *βουλόμενος ἐξ ἀρχαίου δεῖξαι τοῖς Ἀθηναίοις τὰ ἐν Δήλῳ ἱερὰ προσήκοντα πολλῷ κέχρηται τῷ μύθῳ* et quidem fabulam de Latona Deli liberos pariente narravit. Et Isocrates Archidamum regem, ut Messeniam iuste captam esse demonstret, Herculem cum filiis Nelei manus conseruisse de bobus invenit[5]) Arch. 18 (119c).

Neque ad ornandam orationem neque ad firmandam sententiam sed ad animos incitandos fabulam invenimus adhibitas a Demosthene. Legimus enim apud Suidam[6]) II 2 p. 1339 Bernh.: *λέγουσι ὅτι*

1) v. Matz l. l. p. 7.

2) v. Wilamowitz, Antig. v. Karystos. Phil. Unters. IV p. 296. Teletis reliqu. iter. ed. O. Hense, Tuebing. 1909, p. 5.

3) cf. Dio or. XLIII 3 (n. 35); L 2.

4) Hoc dicit Maximus Planudes (Rh. Gr. V 481 Walz); cf. Orat. Att. rec. J. G. Baiterus et H. Sauppius, Turici 1839—43 II p. 286, 71.

5) quod Philostratus laudat V. s. I 17, 4.

6) cf. Orat. Att. II p. 253, 15.

Δημοσθένης ὁ ῥήτωρ ἀπολογούμενος ὑπέρ τινος κινδυνεύοντος οὐχ ἀνεχομένων τῶν δικαστῶν εἶπεν· ἀκούσατε, ὦ ἄνδρες, διηγήματος τερπνοῦ. Deinde narrabat fabulam notissimam, quomodo esset factum, ut iuvenis et mulio litigarent de asini umbra. Similia de Demade a Diodoro Siculo[1]) 16, 87 traduntur: *Δημάδης ὁ ῥήτωρ δημηγορῶν ποτε ἐν Ἀθήναις ἐκείνων οὐ πάνυ αὐτῷ προσεχόντων ἐδεήθη αὐτῶν ὅπως ἐπιτρέψωσιν αὐτῷ μῦθον εἰπεῖν· συγχωρησάντων δὲ αὐτῶν αὐτῷ ἀρξάμενος ἔλεγε.* Et Cererem narrabat cum anguine et hirundine quondam ad flumen venisse, quod hirundo volando, natando anguis superasset. Quo dicto cum taceret et omnes, quid Ceres fecisset rogarent, orator quia ad nugas animum attenderent audientes increpuit.

Eundem ad finem illis temporibus prooemio orationis etiam fabula inserta videtur. Traditur enim apud Athenaeum de Thrasymacho Chalcedonio ceteris, quos adhuc tractavi, priore X 416 *A* (Orat. Att. II p. 163): *Θρασύμαχος δ' ὁ Χαλκηδόνιος ἔν τινι τῶν προοιμίων τὸν Τιμοκρέοντά φησιν ὡς μέγαν βασιλέα ἀφικόμενον καὶ ξενιζόμενον παρ' αὐτῷ πολλὰ ἐμφορεῖσθαι. πυθομένου δὲ τοῦ βασιλέως ὅ τι ἀπὸ τούτων ἐργάζοιτο, εἶπε Περσῶν ἀναριθμήτους συγκόψειν. καὶ τῇ ὑστεραίᾳ πολλοὺς καθ' ἕνα νικήσας μετὰ τοῦτο ἐχειρονόμησε, πυνθανομένου δὲ τὴν πρόφασιν 'ἀπολελείπεσθαι' ἔφη 'τοσαύτας, εἰ προσίοι τις, πληγάς'.* Habemus fabulam, e prooemio petitam, quae cum prolusionibus optime convenit, nec suspicio abest coniunctam fuisse cum ea quondam conclusionem, qua ad se orator verteret sententiam. Itaque si F. Blass (Gesch. der att. Bereds. I² 248, 7) putat hanc fabulam ad Thrasymachum ipsum inexhaustamque eius artem

---

1) Orat. Att. II p. 317, 36.

ingeniumque novas inveniendi res pertinere, cum eo libenter facio; sed displicet, quod hanc fabulam prooemio corporis prooemiorum attribuit, cum tale corpus exstitisse vix ex hoc loco concludere nobis liceat[1]). Si Athenaei verba ἔν τινι τῶν προοιμίων κτλ. animo non praeoccupato interpretamur, fabula in prooemio aliquo dicto a Thrasymacho adhibita est. Dicendo enim auditorum animos hac fabula commovere eum studuisse ex eo concludo, quod W. Suess, Ethos p. 16 docet Thrasymachum inter primos animi affectus quomodo movendi essent, intellexisse eosque arte adhibita commovisse. Vel imperatorum temporibus idem Thrasymachus auctoritate tanta erat, ut orationes eius posteri legerent et imitarentur.[2]) Quin etiam in exordia librorum, qui tantum ad legendum conscripti erant, mos fabulis utendi susceptus est. Velut Tullius in exordio libri II de inventione conscripti[3]) i. e. in principio novi voluminis,[4]) cui loco aptum est lectorem paululum incitare, historiolam proprii argumenti incipit de Zeuxide, similiter ac Lucianus (supra n. 6), cui ut Helenae imaginem praeclarissime pingeret, Crotoniatae virgines forma pulcherrimas ostenderunt plurimas 'quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit'. Unde ad se Cicero concludit II 4—6: sese ex scriptoribus excellentissimis ea decerpere quae de arte dicendi scripturus sit, atque suam operam cum illius comparat. Quo facto ad consilium libri insequentis se convertit. Haud aliter prooemium Acad. prior. II incipit a laudatione Luculli et ecphrasi

1) Quam Blassii sententiam v. Wilamowitz, Eurip. Herakles II² p. 61 refutat.

2) v. Dion. Halic. Demosth. 3.

3) cf. W. Schmid, Attic. IV 349.

4) cf. Th. Birt, D. ant. Buchwesen p. 143.

rerum ab eo in Asia gestarum (§ 1—4), quo dialogum, cuius unam personam hic Lucullus agit, praeparat.

Ergo magis minusve arte cum argumento librorum talia prooemia coniuncta sunt, nonnulla ita quidem ut a prolaliarum ratione haud ita procul distent.

Ex his quae attuli cognosci potest, oratores qui fabulas aliaque lumina in prolusionum usum converterunt, minime novum quidquam protulisse, cum iam antea in prooemiis eadem adhibita sint. Elementa autem a prioribus saeculis parata praebitaque in unum corpus componere ars recentiorum sophistarum propria est.

Ne autem praeteream quodcumque prolaliarum usui alicuius momenti est, quia omnia, quae ad dicendi artem attinent, in scholis a rhetoribus theoretice tractabantur, restat, ut quae de lepidis his prolusionibus rhetores doceant, examinemus.

Unum habemus Menandrum qui leges *περὶ λαλιᾶς* conscripsit (Rh. Gr. III 388 ss. Speng.), ubi in ipso initio (p. 388, 18) legimus: *τὸ τῆς λαλιᾶς εἶδος ...... ἔοικε δύο εἴδεσι τῆς ῥητορικῆς ὑποπίπτειν, τῷ τε συμβουλευτικῷ καὶ τῷ ἐπιδεικτικῷ. πληροῖ γὰρ ἑκατέρου τὴν χρείαν. καὶ γὰρ ἄρχοντας ἐὰν ἐγκωμιάσαι βουλώμεθα...... καὶ μὴν καὶ συμβουλεῦσαι διὰ λαλιᾶς.... καὶ μὴν καὶ αὐτῷ καταμηνῦσαί τινα ὀργὴν ἢ λύπην ἢ καὶ ἡδονὴν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς διὰ λαλιᾶς οὐ κεκώλυται, ἔξεστι δὲ καὶ σχηματίσαι διάνοιαν ὅλην ἢ ἀποσκώπτοντα ἢ κωμῳδεῖν ἐπιχειροῦντα, ἦθός τινος προαιρούμενον, ἢ ψέγοντα βίον ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων.* Eam igitur rhetorum sententiam, quae genus demonstrativum in laudationes et vituperationes dividit, cuius vestigia

apud Aristotelem rhet. I 3, 1358 b, Alexandrum Rh. Gr. III 2, 5 Speng., Quintilianum III 7, 1 alios invenire possumus, Menander quoque suscepit; cum vero suo aevo viri nobiles permagni aestimandi essent oratori (v. n. 40—43 atque etiam p. 96), laudationem eorum primam ponit[1]), tum suasorias commemorat ut sunt minoris pretii, deinde ceteras generis epideictici res velut affectus oratoris ipsius. Eodem tum ordine fusius de iisdem tractat.

Primum iis quae laudationi spectanda sunt, singulis rebus allatis (p. 389, 3) commendat (389, 9): *οὐκοῦν ληψόμεθα πρὸς τοῦτο τὸ παράδειγμα ἱστορίαν ἢ πλάσαντες αὐτοί, ἵνα μὴ δοκῶμεν γυμνοῖς αὐτοῖς τοῖς πράγμασιν ἐγχειρεῖν· οὐ γὰρ ἔχει τοῦτο ἡδονήν· χαίρει γὰρ τὸ τῆς λαλιᾶς εἶδος τῇ γλυκύτητι καὶ τῇ τῶν διηγημάτων ἁβρότητι. παραγένοιτο δ' ἂν ἡ γλυκύτης τῶν λόγων, εἰ παραδείγματα λέγοιμεν δι' ὧν ἐμφανοῦμεν ὃ προαιρούμεθα*, quod omnes fere oratores quos tractavimus fecisse non ignoramus ut singula afferre supervacaneum sit. Hoc eodem loco etiam *τὸ εἶδος τῆς λαλιᾶς* Menander clare indicat; fabulis enim et narrationibus *γλυκύτης* efficitur. Quae autem exempla fictarum fabularum apud Menandrum sequuntur de Hercule[2]) et de Agesilao, ea ita fingit, ut inde facillime ad principem sive de urbibus bene meritum sive a civibus honoratum oratio flecti possit. Deinde talium narrationum fontem oratori satis commodum indicat Herodoti historiam (p. 389, 27), quocum conferas n. 37.

1) Inter exempla generis laudatorii praeter Herodotum et Xenophontem, Nicostratum, Dionem, Philostratum, qui Heroicum et imagines conscripsit, Menander affert (Rh. Gr. III 388 Sp.). cum Hermogenes recentiorum Nicostratum solum et eundem excusans prioribus, quos plures nominat, addit (Rh. Gr. II 417 Sp.).

2) Fortasse Cynicorum narrationes aliqua auctoritate in hac fabula eligenda erant, v. R. Asmus, Julian u. Dio p. 9.

38. 77. Etiam *τὸ ὀνείρατα πλάττειν* commendat; quod autem ipse praebet exemplum ad laudationem principis accommodatum a Luciani somnio quod in ceteris exemplum aptum potest esse abhorret. Si autem pergit (390, 7) *ὅτι παραστὰς νύκτωρ Ἑρμῆς προστάττοι κηρύττειν τὸν ἄριστον τῶν ἀρχόντων*, saepius deum quendam auctorem etsi non laudationis tamen orationis esse rhetores contendunt (v. n. 1).

Neque minus in suasoriis quoque *τὴν λαλιάν* adhiberi posse accuratius (p. 390, 14) demonstrat, quod cum *περὶ ὁμονοίας* disserendum esse dicat in mentem revocat Dionis. or. XXXII (n. 25) ad Alexandrinos habitam. Adhiberi autem potest *ἡ λαλιά* secundum Menandrum (390, 18) etiam tum cum *μισολόγους γιγνώσκεις καὶ δυσχερῶς συνιόντας. ἐξαγγελεῖς δὲ σαυτοῦ πάθος, οἷον ὡς ἐν ὑποδείγματι εἰ λέγοις ὅτι οὐκ ἀπαιτοῦσι συνεχῶς αἱ ἀκροάσεις οὐδὲ ἀναγκάζουσι λέγειν.* Cum oratores semper fere de aliqua re, quae sibi accidit, dicere soleant et persaepe de affectu, quem in oratoris animo auditores commovebant, huius generis loci plures sunt quam quos repetere valeam. Atque iterum ut orator hoc quoque loco fabulam afferat, Menander monet, velut de Apolline, quem Musae neglegebant, nec conclusionem, quam semper fabulis annexam invenimus, praeterit (390, 28) *σχηματίζων δὲ πρός τε σαυτὸν ἐρεῖς ταῦτα καὶ πρὸς τοὺς ἀκροατάς.* Contrarium si videt orator scilicet audientes attendere animos Menander commendat (390, 32) *ἐμφανιεῖς καὶ ἡδονὴν ὅτι ἥσθης ἐπὶ τῇ τοιαύτῃ διαθέσει τῶν ἀκροατῶν ὥσπερ Ἰσοκράτης*[1]) *ἥσθη τοῖς Ἕλλησιν ἀναγνοὺς ἐν Ὀλυμπίᾳ τὸν πανηγυρικὸν λόγον αἰσθανόμενος ὅτι κατεῖδον ἀκριβῶς τὸ μεγαλεῖον τοῦ λόγου.* Ergo eum ad quem, cum vestigia prolaliarum perse-

1) cf Isocr. Paneg. § 4.

queremur, primum fere huius usus testem pervenimus, Isocratem, rhetores ipsi posterioris aevi commendabant et imitabantur. Huius autem praecepti accuratissime observati exempla habemus Apulei flor. XVIII et V (supra n. 40 et 45), quae ut optima pro multis aliis afferam.

Ex iis quae tertio loco supra commemoraverat ceteris relictis unum tantum Menander explanat; esse enim etiam vituperandi in laliis locum (391, 6): *ἀποσκώψεις δὲ πολλάκις καὶ ψέξεις ἀνωνύμως ὑπογράφων τὸ πρόσωπον, εἰ βούλοιο, καὶ τὸ ἦθος διαβάλλων, καὶ ὥσπερ ἐν τῷ ἐπαινεῖν ἐξῆν ἐκ πάσης ἀρετῆς λαμβάνειν τὰ ἐγκώμια, οὕτως ἔξεστί σοι ἀπὸ πάσης κακίας διαβάλλειν καὶ ψέγειν ὅταν ἐθέλῃς.* Quibus verbis cum adversariorum impetus cavillationesque, quae saepius quam ut locos enumerem obviam ferebantur, tum auditorum vituperationes in prolaliis suo loco esse docet, velut illa praeclare excogitata Dionis invectiva in Alexandrinos (n. 25) vel Luciani Zeuxis (n. 6) et Prometheus (n. 11). Pergit Menander (391, 10): *ἔστι δέ ποτε καὶ ἀπολογήσασθαι καὶ διαθεῖναι τὸν ἀκροατὴν ἐπὶ παρόδου ἣν μέλλει ποιεῖσθαι πολλάκις μὲν ἠθικῶς μετριάζοντα ὅτι τέττιγας μιμεῖται τοὺς ᾠδικοὺς τῶν ὀρνίθων.* Cum avibus se comparare oratores vidimus velut n. 49. Neque eis exempla desunt, quae deinde legimus 391, 14: *πολλάκις δὲ αἰτήσεις συγγνώμην φάσκων ἐξ ὑπογύου σοι γεγενῆσθαι τὸ σπούδασμα*[1] (v. n. 55. 58) *ἢ ὅτι τῶν λόγων τὰς ἀπαρχὰς ἀνατίθῃς τῇ πατρίδι καὶ ταῖς πολίταις* (v. n. 40). Ergo exspectationem minuendam vel augendam esse

---

1) v. Isocr. panegyr. § 13 *τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους ἐν τοῖς προοιμίοις ὁρῶ καταπραΰνοντας τοὺς ἀκροατὰς καὶ προφασιζομένους ὑπὲρ τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι, καὶ λέγοντας τοὺς μὲν ὡς ἐξ ὑπογυίου γέγονεν αὐτοῖς ἡ παρασκευή.*

commendat, quarum rerum illius n. 22. 23. 25. 40. 42 aliaque multa, huius n. 13. 25. 26. 43. 46. 47. 65 permulta alia exempla habemus. Quo facto ad sententiarum ordinem, qui in prolaliis conscribendis observandus est, se vertit (391, 19): *Ἁπλῶς δὲ χρὴ γιγνώσκειν, ὅτι λαλιὰ τάξιν μὲν οὐδεμίαν θέλει σώζειν καθάπερ οἱ λοιποὶ τῶν λόγων, ἀλλὰ ἄτακτον ἐπιδέχεται τὴν ἐργασίαν τῶν λεγομένων*, quam sententiam et antea significabat (391, 10), cum varia *τῆς λαλιᾶς* argumenta esse indicaret, et postea iterat (392, 9). Optime Dionis prolusiones ad eam quadrant, aliorum eo minus quo firmiore forma sunt. Monet autem Menander (392, 12): *στοχάζεσθαι μέντοι δεῖ ἑκάστου καιροῦ τῶν λεγομένων καὶ συνιέναι ποῖον χρήσιμον εἰπεῖν πρῶτον, ποῖον δὲ δεύτερον*, quod optime mea quidem sententia Dionis prolusionibus quatenus maioris ambitus sunt (n. 23—27) explanatur. Et hic (392, 5) et postea (394, 21) aetates vitae singulas afferre oratori commodo esse dicit quod Apuleius adhibuit flor. XVII (v. n. 42). Tum ut in laliis etiam iis quae non Athenis habentur mentio Atheniensium eorumque institutionum fiat, commendat (392, 15), quod fieri videmus n. 24. 25: *φέρει γὰρ ταῦτα πολλὴν γλυκύτητα. χρὴ δέ σε καὶ κιθαρῳδῶν ὀνόματα διαφόρων εἰδέναι Ὀρφεως* (42) *Ἀρίονος* (37. 42) ..... *καὶ τῶν περὶ αὔλησιν εὐδοκίμων* (9. 32. 48. 71) *καὶ μαντέων* (27). *ἔτι δὲ περὶ ὀρῶν ἐπισήμων ... πολὺς δὲ καὶ ὁ Διόνυσος ἔστω καὶ χορεῖαι καὶ Σειληνοὶ καὶ Σάτυροι* (1. 27) ...... *καὶ Ἴστροι* (23) *καὶ* ..... *εἴ τις ἄλλος ἐπίσημος* (velut Eridanus 3), *χρησιμώτατοι δὲ πρὸς λαλιὰν καὶ οἱ Πλουτάρχειοι βίοι* (cf. p. 97, 5). *καὶ γὰρ πλήρεις εἰσὶν ἱστοριῶν καὶ παροιμιῶν καὶ χρειῶν. ταῦτα γὰρ πάντα καταμιγνύναι ταῖς λαλιαῖς χρήσιμον, ἵνα πανταχόθεν τὴν ἡδονὴν θηρεύσομεν. δεῖ δὲ ζητεῖν καὶ μεταμορφώσεις* ..... *ἔχειν δεῖ σε μνήμην καὶ ποιητῶν ἐπισήμων. Ὁμήρου* (quem ubique inve-

nis), *Ἡσιόδου, τῶν λυρικῶν*[1]) (2) *καὶ Ἀρχιλόχου δὲ οὐκ ἀμελήσεις*, quem oratori, ubi vituperat, commendat (24). De dicendi autem genere docet (393, 21): *ὁποῖον δὲ δεῖ τὸ εἶδος τῆς ἀπαγγελίας εἶναι, καὶ τοῦτο προστέθειται, ὅτι ἁπλοῦν καὶ ἀφελὲς καὶ ἀκατάσκευον. προσκείσθω δὲ ὅτι οὐδὲ μακρὰς τὰς λαλιὰς εἶναι δεῖ πλὴν εἰ δι' αὐτῶν ἐθέλοιμεν τὴν ἐπίδειξιν ποιήσασθαι.* De ambitu dixi ad n. 7 et p. 96; ex eadem Menandri sententia id quoque discimus, *ἐπιδείξεις* exstitisse quibus orator meram laliam licet exornatiorem longioremque exhibuerit. Quod autem e prolaliis quae servatae sunt ipsis elucet secutam esse post prolusionem epideicticam orationem alterius generis, cum hoc testimonio confirmatur tum alio quod legimus p. 434, 1: *καὶ εἰ μὲν ὡς ἐν λαλιᾷ, βραχὺς δὲ ὁ τῆς λαλιᾶς λόγος, διὰ συντόμων ἐρεῖς καὶ μάλιστα ὅταν πρὸς τῇ λαλιᾷ ταύτῃ μέλλῃς ἕτερον εὐθὺς παρέχεσθαι λόγον.* Nostro loco autem nonnullis *τῆς λαλιᾶς* generibus attactis pergit (394, 29): *καὶ ἁπλῶς πολυσχιδὴς ἡ τῆς λαλιᾶς χρεία. οἶδε γὰρ καὶ πᾶσαν ὑπόθεσιν ἀνδρὶ πολιτικῷ περιεργάζεσθαι.* Partis autem huic succedentis, quae *περὶ προπεμπτικῆς* est, verba (395, 31): *παραλήψῃ δὲ ἐπὶ τοῦ ἄρχοντος καὶ πόθον πόλεων ὁλοκλήρων περὶ αὐτὸν καὶ ἔρωτας* optime ad n. 43 quadrant.

Quae ad genus *λαλιῶν* pertinent, perquisivi; quoniam autem prolaliae etiam prooemiorum ordini attribuendae sunt, iam me convertam ad praecepta, quae in libris de arte rhetorica conscriptis nobis tradita sunt de initiis orationum. Disiungunt posteri artis rhetoricae praeceptores *τὸ προοίμιον* et *τὴν ἔφοδον* h. e. principium et insinuationem, de quibus aptius ceteris auctor ad Herennium mihi agere vi-

1) et hos et illum posteri velut Himerius ubivis laudant.

detur I 7, 11 Marx: 'Inter insinuationem et principium hoc interest: principium eius modi debet esse, ut statim apertis rationibus[1]) aut benivolum aut attentum aut docilem faciamus auditorem; at insinuatio eiusmodi debet esse, ut occulte per dissimulationem eadem illa omnia conficiamus, ut ad eandem commoditatem in dicendi opere venire possimus.' Cicero autem, cuius aetate demonstrativum genus minoris momenti erat, de invent. I 23 tantum ubi de genere iudiciali agitur, utendum esse insinuatione dicit 'cum admirabile genus causae est, hoc est, ut ante diximus, cum animus auditoris infestus est'. Idem paulo post (I 25) fusius insinuationis naturam et optime illud 'occulte per dissimulationem' auctoris ad Herennium interpretatur: 'Sin res dabit, non inutile est ab aliqua re nova aut ridicula incipere aut ex tempore quae nata sit; quod genus, strepitu, acclamatione; aut iam parata, quae vel apologum vel fabulam vel aliquam contineat irrisionem; aut si rei dignitas adimet iocandi facultatem, aliquid triste novum horribile statim non incommodum est inicere.'[2]) Quas res invenies si prolaliam quamlibet inspicias Praeterea laudationes, quas praecipue laliis contineri vidimus, cum insinuationibus esse conexas Theon docet (Rh. Gr. II 109, 24 Sp.): *ἀλλ' εἴτε ζῶντας εἴτε τελευτήσαντας ἢ καὶ ἥρωας καὶ θεούς τις ἐγκωμιάζοι, μία καὶ ἡ αὐτὴ ἔστι τῶν λόγων ἔφοδος.*

1) Quadrant ad hanc legem ea, quae apud Aphthonium de laudationis prooemiis legimus *προγυμν. περὶ ἐγκωμ.* I 87, 9 Walz: *προοιμιάσῃ μὲν πρὸς τὴν οὖσαν ὑπόθεσιν.* Idem docet Anonymus III 598, 17 Walz *περὶ ἐγκωμ. καὶ ψόγου.* Nec Maximus Planudes ab his alienus est *προλ. περὶ ῥητ.* V 220, 30 Walz *προοίμιον οὖν ἐστι λόγος .... οἰκείως διατιθεὶς πρὸς παραδέξασθαι ἢ ἀποθέσθαι τόδε τι πάθος τῆς ψυχῆς.*

2) Quas sententias iterat Victorinus Rhet. lat. min. p. 198 Halm.

Cum autem tantum ratione viaque, qua eundem finem appetunt, principium et insinuatio distent, fusius de iis non agitur in praeceptis rhetorum nobis traditis. Itaque quas leges secuti prooemia rhetores pertractant, easdem etiam ad insinuationes atque prolalias esse adhibitas putare possumus. Iam antiquis temporibus *αἱ τέχναι* de prooemiis agunt posterisque excultae tantum neque tamen multum mutatae sunt. Velut Aristoteles qui vocatur artis rhetoricae *Γ* 14 p. 1414b 19 docet: *τὸ . . . προοίμιόν ἐστι ἀρχὴ λόγου, ὅπερ ἐν ποιήσει πρόλογος καὶ ἐν αὐλήσει προαύλιον . . . τὸ μὲν οὖν προαύλιον ὅμοιον τῷ τῶν ἐπιδεικτικῶν*[1]) *προοιμίῳ*, qua comparatione breviter explicata pergit p. 1414b 25 ad exordium aptum esse *ὅ τι . . . ἂν βούληται εὐθὺ εἰπόντα ἐνδοῦναι καὶ συνάψαι ὅπερ πάντες ποιοῦσιν*. Et exemplum affert Isocrateae Helenae prooemium, cui similia addidi supra p. 106. Porro legimus p. 1415 a 5: *τὰ τῶν ἐπιδεικτικῶν προοίμια ἐκ τούτων ἐξ ἐπαίνου, ἐκ ψόγου, ἐκ προτροπῆς, ἐξ ἀποτροπῆς, ἐκ τῶν πρὸς ἀκροατήν* constare cui Isocratis Panegyricum vituperationis addit exemplum, Gorgiae orationem Olympicam laudationis. Quod autem audientes attinet, ut dociles attentos benivolos eos sibi orator faciat, suadet; fiunt autem attenti 1415b 1 *τοῖς μεγάλοις, τοῖς ἰδίοις, τοῖς θαυμαστοῖς, τοῖς ἡδέσιν· διὸ δεῖ ἐμποιεῖν ὡς περὶ τοιούτων ὁ λόγος . . . διὸ γελοῖον ἐν ἀρχῇ τάττειν ὅτε μάλιστα πάντες προσέχοντες*

1) Cicero prooemia iudiciaria aperte a demonstrativis distinguit de or. II 80, 325: 'Conexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium affictum aliquod sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur . . . . Atque eiusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitium, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur; sed ut ipsis sententiis, quibus proluserint, vel pugnare possint.' Vox autem prolusionis etiam de demonstrativis prooemiis adhibetur; v. n. 82.

ἀκροῶνται. ὥστε ὅπου ἂν ᾖ καιρός, λεκτέον 'καί μοι προσέχετε τὸν νοῦν' et similia (v. n. 1, 3). Quae explanantur et ad ea, quae nostris exemplis probantur, magis adaptantur a Cornificio qui vocatur I 6, 10: 'Si defessi erint audiendo (sc. exordiri poterimus) ab aliqua re, quae risum movere possit, ab apologo, fabula, veri simili, ... exspectatione, similitudine, novitate, historia, versu, ab alicuius interpellatione aut adrisione,[1] ⟨si promiserimus⟩ aliter ac parati fuerimus nos esse dicturos; nos non eodem modo, ut ceteri soleant, verba facturos; quid alii soleant, quid nos facturi sumus, breviter exponemus' (v. n. 3. 23—27. 43). Rationem quae hunc usum commendet addit Cicero de inv. I 25: 'animus defessus audiendo aut admiratione integratur aut risu novatur'. Et hic et ille, quod auditores esse defessos sumunt, altero loco vel tertio orationem haberi ponunt, quod iis licuit quia in iudiciis saepius oratio subsequebatur orationem; cum autem etiam in rhetorum certaminibus[2]) post alium alius declamator locutus sit, haec Ciceronis sententia etiam ad demonstrativum genus quadrat. Fabulas autem summi momenti esse ut auditores attenti fiant Doxopatres,[3] Rh. Gr. II 143, 20 Walz docet; ut ad eundem finem de se orator dicat, Anonymus Seguerianus Rh. Gr. I 429, 6 Sp. suadet, qui etiam Nestoris exemplum (v. supra n. 21) profert. Commendationem autem benivolos quoque facere auditores ab auctore ad Her. I 4, 8 discimus, quo praeter suam ipsius personam etiam adversariorum et auditorum res ipsas afferre oratori emolumento

1) cf. quae Cicero de insinuatione docuerit supra p. 116.

2) v. Eunap. Vitas s. p. 488 Boiss.; Himer. or. 89; Choric. p. 106 Boiss.

3) De recta huius nominis forma v. H. Rabe, Aus Rhetorenhandschr., Rh. Mus. 63 p. 512, 3.

esse dicit. Quod vero saepe invenimus rhetores monuisse, ne falsum quid auditores exspectarent, harum quoque adhortationum praecepta non desiderantur, cuius Apsinem in libro *περὶ προοιμίων* Rh. Gr. I 336 s. testem habemus.

Ut autem Choricio fabulae erant defendendae (v. supra p. 98), sic posteriore aetate cum Musae magis magisque angustis scholasticorum regulis vincirentur, omnis insinuationum et prolaliarum usus quia liberior nec satis ad finem directus esset, improbatus est. Cuius nobis documentum praebet Anonymus quidam Christianus qui *περὶ τῶν τεσσάρων μερῶν τοῦ τελείου λόγου* Rh. Gr. III 570 Walz scripsit, cuius aetas eo definitur, quod non solum Procopium Choriciumque Gazaeos p. 571, 19 commemorat sed etiam Basilium Magnum p. 570, 13 et Athanasium p. 570, 21 laudat commendatque. Legimus apud eum p. 570, 19: *Ἀλλὰ καὶ προοιμίου δριμύτης, φασί, πρότασις, ἐὰν εὐθὺς περιστᾷ τὸν τοῦ λόγου σκοπόν οἷα τὰ θεολογικὰ .... καὶ μὴ πλανῶ πόρρω τῆς ὑποθέσεως*[1] .... *καὶ εὐδοκιμήσεις. πολλάκις δέ τινες τῶν νεωτέρων ἀλλὰ καὶ τῶν παλαιῶν οὐκ ἀπ' αὐτῆς τῆς ὑποθέσεως ποιοῦνται τὴν πρότασιν καὶ τὸ προοίμιον ἀλλ' ἔξωθεν διὰ ἱστορίας τυχὸν ἢ τινος τοιούτου, οἷόν ἐστιν ἐκεῖνο. Ἀρχέλαος ἦν δὲ ἐκεῖνος ἀνὴρ τοιόσδε, ἐποίησε τόδε καὶ τόδε ἐπὶ τῷ δεῖνι, ἐγὼ δὲ τόδε ποιήσω ἐπὶ σοί.*[2] Ergo ab exemplo ordiri et ad se concludere, quam rationem saepissime rhetores sequebantur, huic anonymo displicebat, atque etiam suae sententiae causam affert 571, 9: *τὰ τοιαῦτα*

---

1) Similiter Photius Dionis prolusiones prooemiis attribuere paululum dubitat bibl. cod. 209 *τὸ δὲ ἐπὶ μακρότατον ἀποτείνειν τὰ προοίμια ἢ τὰ οἷον προοίμια.*

2) Hac brevi et simplici forma prolusiones Choricii pleraeque effectae sunt, quem hic Anonymus spectare videtur.

προοίμια μετέχουσι μὲν γλυκύτητος διὰ τὸ ἱστοριῶδες ἢ μυθῶδες καὶ τὸ ἀφηγηματικόν, οὐκ εἰσι δὲ δριμέα ὡς ἐκεῖνα οὐδὲ τοσοῦτον ἐπαινετά· ὡς τὰ παραδείγματα γὰρ εἰσάγονται, τῶν ἀγώνων δέ, οὐ τῶν προοιμίων τὰ παραδείγματα. Cuius moris principium invenit (571, 14) ἐν τοῖς λογογραφήμασιν ἀπὸ τῶν παρὰ τοῖς παλαιοῖς ῥήτορσι πραγμάτων ἐν τοῖς αὐτῶν λόγοις ἱστορικοῖς[1]) πρὸς τὴν ὑποκειμένην μὲν ὑπόθεσιν προᾳδομένοις, ὅμως διεζευγμένου τοῦ ἐγκωμιαστικοῦ λόγου καὶ ἀπειλημμένοις ἰδίᾳ, ἀλλὰ σὺ μᾶλλον ζήλου τὰ ἄνω ῥηθέντα δριμέα προοίμια, τὰ εὐθὺς εἰς τὴν ὑπόθεσιν βάπτοντα.

Iam materia absoluta paucis gravissima concludamus. Prolaliae generi laliarum attribuende sunt, quae eloquentiae demonstrativae pars est; eaedem sunt aliis orationibus praemissa, ut praefationum loco adhibeantur, quibus oratores, ut audientes sibi fautores et de se certiores facerent, de se dicere luminaque generis dicendi addere solebant (v. supra p. 105). De se dixerunt ipsi logographi Graeci antequam recitabant (v. p. 106); similia dixit in exordio orationis Thrasymachus qui ad explicandam sententiam adhibuit fabulam (v. p. 108), similia Isocrates qui cum adversariis contentiones addidit (v. p. 106). Unde leges praefandi a rhetoribus susceptae in scholis excultae et traditae sunt, quas comoediarum poetae Graeci Romanique et postea alii quoque poetae ante recitationes in prologis sequebantur (v. p. 98. 105). Cum autem rhetorum declamationes in usu esse inciperent, his quoque pauca praemittere necesse erat, ut ex statu rerum

1) Inspicias Strabonis Geogr. X p. 465 ubi refert Πολύβιος φήσας περὶ τῶν Ἑλληνικῶν καλῶς μὲν Εὔδοξον, κάλλιστα δ' Ἔφορον ἐξηγεῖσθαι .... ἡμεῖς δὲ ..., cf. G. Engel l. l. p. 57.

simili prooemia similia atque antea apud Graecos orerentur, cum simplex forma haud e prologis poetarum eas pendere doceat (v. n. 13—20). Quas sophistae recentiores, quippe qui omnia orationum genera augerent perficerentque, magis fabulis descriptionibus aliis luminibus ornabant, qua in re fortasse Thrasymachi exemplum (v. supra p. 109), at certe Cynicorum mos fabulandi momenti fuit. Ornabant autem adeo ut prooemium oratiuncula propria fieret a declamatione vel recitatione, quae caput ἐπιδείξεως erat, diversa quod de suo argumento agens id spectaret ut ipso in exordio totius ἐπιδείξεως audientes quam maxime oratori caperentur.

Quod autem rhetores qui theoretice de his praelocutionibus agebant attinet, quia tales lucubratiunculae prooemii et laliarum naturae participes sunt, eas neque ut proprios sermones pertractant neque proprio nomine instruunt, immo προλαλιά nomen quo nos utimur Byzantino aevo ante s. X (v. supra p. 6) iis assignatum est.

Colebantur autem prolaliae quoad declamationes habebantur; quin etiam posteri eas ipsas, cum artificioso ornamento splenderent, quae servarentur dignas putabant, ut nobis quoque ex nitidis illis vestimentis quibus induti sophistae recentiores se ostentabant nonnullos pannos traderent.

Vita

Natus sum **Erwinus Aloysius Egbertus Stock**, fidei catholicae addictus, patre Hugone matre Julianna de gente Klage, die undetricesimo mens. Aug. a. 1885 in oppido Borussiae orientalis, cui nomen est Wartenburg. Parentibus carissimis praematura mihi morte ereptis a patris sorore Frauenburgi educatus ibique literarum primordiis imbutus sum. Tum per octo annos gymnasium Brunsbergense frequentavi. Maturitatis testimonium vere anni 1905 adeptus Friburgi Brisgaviae, Berolinae, Regimonti civibus academicis adscriptus studiis philologicis, archaeologicis, germanicis operam dedi.

Proseminarii philologorum Berolinensis, quod *Diels, Helm, Imelmann, R. Schmid* moderabantur, per unius semestris spatium, Regimontani, quod *Deubner, Ludwich, Wuensch* regebant, per unum annum, iisdemque praeceptoribus seminarii per ter senos menses sodalis fui. Ad exercitationes benigne me admiserunt archaeologicas *Kekulé v. Stradonitz †, Puchstein †, Rossbach*; germanicas *Baesecke, Baumgart, Meissner, Roethe*; grammaticas *Tolkiehn*; palaeographicas *Ruehl*; philosophicas *Dessoir, Goedeckemeyer, Meumann, Uebinger*.

Denique me societati philologorum Graecae a *Ricardo Wuensch* et *Ludovico Deubner* institutae per tria semestria interfuisse grato animo mihi liceat commemorare.

Omnibus viris doctis, qui studiis meis faverunt, imprimis *Ricardo Wuensch*, quo auctore et benevolo semper adiutore hoc opusculum conscripsi, me, quoad vivo, gratias habiturum esse quam maximas magis re si licet probabo quam pluribus hic verbis affirmo.